5.11.30

5 A. 11.

B.

XIV |
COCEIII
.1710

Digitized by Google

BREVE, ET FACILE AD ELOQUENTIAM ITER

ILLUSTRISS., AC REVERENDISS. D.

D. HORATIO PANCIATICI

FÆSULARUM EPISCOPO,

NECNON

COMITI TURICHII.



FLORENTIÆ MDCCX.

Ex Typographia Michaelis Neſtenus, & Antonii-Mariæ Borghigiani.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

ILLUSTRISS.^{me}, AC REVER.^{me}

PRÆSUL.

CUM omnium Chriſtianæ Reipublicæ animarum cura a Deo Optimo Maximo Eccleſiarum Paſtoribus demandata ſit, qui Chriſti

Domini gregem verbo paſcere debent, cumque tota idoneorum Sacerdotum ſpes in eccleſiaſtica juventute ſita ſit, ſemper illud in votis præcipuè habuiſti, ILLUSTRISS., AC REVERENDISS. PRÆSUL, ut dociles juvenum animi literariis artibus imbuerentur. Quantum verò uberrima literarum cognitione inſtructiſſimus in hac provincia laboraveris, nemo eſt, qui ignoret; nullis enim impenſis pepercisti, nulla vitaſti incommoda; quin immò opportunè, atque importunè, juxta Apoſtolicum monitum, inſtare nunquam deſtitiſti, ut tenera adoleſcentium ætas ſanam doctrinam ſuſtineat. Quapropter qui in nobilioris litera-

turæ academiis, & qui philoſophiæ, ac theologiæ certamina ſubituri erant, Te unum quamplures patronum rogaverunt. Nec ſua eos fefellit opinio; nam tanta illi alacritate encyclopædiam abſolverunt, ut quicquid ſcientiarum adepti fuere, tibi eis referentibus acceptum non Fæſulis ſolum, ſed Florentiæ, ſed Romæ dulce doctrinarum præſidium, & decus meritò appelleris. His de cauſis parum negotii mihi fuit, cui potiſſimum hunc Artis Rhetoricæ dicarem libellum, invenire. Tua ſtatim mihi occurrit humanitas, Tua erga me multifariam demonſtrata benignitas præſto fuit, qua ego devinctus lucubratiunculas haſce,

velut meæ in Te obſervantiæ pignus venerabundus offerre decrevi ; ut illæ non propter ipſum auctorem, ſed propter Nomen Tuum ; quod velut nobiliſſimam teſſeram fronte inſcriptum gerunt, commendari poſſint. Et ſi opus quidem adeo perfectum non apparet, ut ad ejus ornatum nihil addi poſſit, certè ejuſmodi eſt ; ut de obſequii in Te mei teſtimonio nihil detrahi poſſe videatur. Vale.

Dom. Tuæ Illuſtriſs. ac Reverendiſs.

Humill. Addictiſſ. & Obſeq. Famul.
Joachimus Cocchi.

LECTORI BENEVOLO.

Facturus ne operæ pretium ſim, ſi hac Artis Rhetoricę præcepta, quæ jam multis explanaveram auditoribus, typis commendari ſinerem, diu hæſitavi; nam cum multos, tum eruditos a magni nominis auctoribus hujuſmodi libros in lucem editos eſſe cognovi, & lectores ſemper rhetores aut aliquid novi, aut utiliorem ſaltem dicendi methodum allaturos credunt. Illud præterea accedit, ut cum cæteræ nobiliores artes finibus ſuis contentæ videantur, ſola vero Rhetorica in tantam ſe extendat vaſtitatem, ut de omnibus rebus benè eloqui Orator ſcire debeat, illam ego in tam exiguum opuſculum contrahere auſus ſim. Utcumque ſit, iuvabit tamen plurium, qui me audiunt non ſolum ſcribendi laboribus conſuluiſſe, verùm eorum voluntati, ac benevolentiæ hoc amoris mei monumentum præſtitiſſe. Rem præterea ma-

gni ponderis eſſe duxi; ſi præcepta dicendi unà cum uſu conjuncta tradantur, id quod facillimum Rhetoricæ candidatis probè intelligendi, ſimul & bene dicendi modum tribuit. Verum quia multiplices eloquendi inſtitutiones, et exempla ſimul dare, magnum elaborare volumen videtur; ea propter hoc in exiguo libello præcepta primùm dicere, deindè uſum ſtatim apponere pro mea virili parte ſtudui; idcirco breve, ac facile ad eloquentiam iter tenuiſſimum hoc opus inſcripſi. Quare multa, quæ grammaticis, ac poetis, qui magnam licèt inveniendi copiam eloquentiæ præbeant, communia ſunt, reſecanda in tertio libro putavi. Illud inſuper cavi, ne ad bene dicendi artem Poetarum exempla, qui liberiori, ac inaniori vagantur circuitu (quod in illis valdè eſt commendandum) adducam. Et ni meum me fallat conſilium, ſicuti diſcipuli volentes, ac libentes, quod eorum docilitati, ac tolerantiæ tantùm referendum eſt, hæc præcepta audiverunt, ita libentius eadem te perlecturum non deſpero.

BRE-

BREVE, ET FACILE

AD ELOQUENTIAM ITER.

CAP. I.

Quid ſit Rhetorica, & quot ejus partes.

QUamvis Rhetor, ut plurimum ille dicatur, qui Rhetoricæ facultatis præcepta tradit, & Eloquens Latinè, qui illis ad dicendum utitur; auctorum tamen plurimorum uſus obtinuit, ut Rhetorica pro Eloquentia accipiatur. Quapropter nos pariter promiſcuè has voces adhibentes dicemus Rhetoricam eſſe Artem bene dicendi. *Bene dicere*

hoc loco *copioſè*, *ornatè*, *& ad rem eloqui* ſignificat. Dicitur, *copioſè*, quia Orator argumentornm inopia laborare minimè debet. Adjungitur, *ornatè*, quoniam tropis, & figuris ea ornare ſtudeat, quæ dicit. Additur præterea, *ad rem*, nam rerum earum, quas ſibi dicendas proponet orator, terminis non egrediatur. Hinc fit, ut tres priores eloquentiæ partes aſſignentur; *Inventio* ſcilicet, quæ rerum copiam excogitat, *Diſpoſitio*, quæ ordinem adinvenit in partibus orationis, et *Elocutio*, quę ornatum comparat; quibus aliæ duæ adduntur, hoc eſt *Memoria*, & *Pronunciatio*, adeout quinarius Rhetoricæ partium numerus adimpleatur. Inventio eſt propoſitionis, & argumentorum excogitatio. Diſpoſitio eſt rerum inventarum in ordinem diſtributio. Elocutio eſt orationis forma verborum, ac ſententiarum veluti quibuſdam coloribus pręſtantiſſima.

ma. Memoria definitur firma orationis perceptio. Pronunciatio dicitur pro rerum ratione moderata vocis, ac totius corporis habitudo, de quibus ſingulis dicendum eſt.

De Inventione. CAP. II.

PRopoſitione excogitata, argumentorum apparatus ad Confirmationem quęrendus erit, quod proprium Inventionis munus eſt, & cujus explicatio ad totum primum librum uſque protrahetur. Illud in primis Oratori animadvertendum eſt, quod non ſolum ea, quæ proponit, illi probanda ſunt, ſed etiam auditores delectare, & flectere in dicendo debet. Ut autem id facilius aſſequi poſſit, ea ſunt obſervanda, quæ tum ad fidem faciendam, tum ad hominum mentes alliciendas, ipſorumque animos movendos multum valent. Fidem facit orator argumentis veritatis

fun-

fundamento innixis. Ad auditores verò permulcendos, & affectionibus pertrahendos maximam vim habent exempla, & rerum narrationes, quæ aliquid novi, & admirationis, quæque inopinatos continent exitus; inſuper tropis, & figuris, de quibus in tertio libro de Elocutione agetur. Verùm quæ ad animos permovendos ſpectant, abundantiùs in hujus libri calce explicabuntur. Nunc verò fontes nonnulli aperientur, è quibus argumentorum copia ad probationem hauriri poteſt.

Unde ſumatur dicendi materia.
CAP. III.

UT autem faciliùs eruditionum fontes, è quibus argumenta perficiuntur ad certum numerum redigantur, quatuor hìc tantum aperiam, unde quamplurimi emanant rivi.

Pri-

Primus argumentorum fons, idemq; chriſtiano oratori maximè neceſſarius, Sacra Theologia eſt; nulla enim ferè probatio firma videtur, niſi ab hac ſcientiarum facile principe vim recipiat; alioquin non ſine prompto erroris periculo ad concionem quis aſcendere poteſt. Huc accedit ſacrarum literarum, ac ſanctorum Patrum auctoritas, quæ ſi argumentum claudat, atque nobiliſſimæ gemmæ adinſtar illud exornet, vix dici poteſt, quantum nitoris, roboris, ac fidei orationi addatur.

Secundus fons ex Philoſophiæ ſtudio ſcatet; unde præter argumentorum firmitatem, ad clariorem etiam concionis elucidationem, & venuſtatem præclaræ deſumuntur ſimilitudines, de quibus infra dicemus.

Tertium fontem indicat Hiſtoria tum ſacra, tum profana. Sacra illa præſertim dicitur, quę

ex veteri teſtamento depromitur, & ex novo. Profana verò multum valet, ſi ex iis rebus colligatur, quæ in ea civitate, aut provincia acciderũt, in qua verba facienda ſunt. Romanorum geſta, quippe qui in toto terrarum orbe dominati olim fuere, omnibus in locis commendantur. Removendæ omnino ſunt a ſacris ædibus fabulæ quæque, & narrationes, quæ riſum ciere poſſunt; cum enim gravitatem præſeferre omnino debeat orator, corruerent prorſus ejus argumenta, & auctoritas, ſi ridiculum vel unum dictum proferret, maximoſque ſerendi labores nulla fructuum ſequeretur meſſis. Dixi fabulam a ſacris liminibus arcendam eſſe, nam in academiarum theatris aliquando ad delectationem, & utilitatem, non verò ad riſum inventa permittitur.

Quartum omnium copioſiſſimum fontem demonſtrant loci

com-

communes, ex quibus, veluti ab eloquentię ærario argumenta excipiuntur; quæ loca quoniam ſingula propriam ſibi vindicant explicationem, ideo eorum definitione, diviſione, & numero ſequenti capite prænotatis ſua pariter quæque mox dividentur in capita.

De Locis communibus. CAP. IV.

LOcus communis eſt nota quędam, ex cujus cognitione argumenta ad aliquid probandum facilę deſumuntur. Duplex eſt locus, intrinſecus, qui internus, & inſitus appellatur, & externus, qui aſſumptus, remotus, vel extrinſecus dicitur. Primus denominatur internus, quia in ipſa re, de qua loquimur, includitur; ab Ariſtotele quoque artificialis nominatur, quoniam artis inveſtigatione comparatur. Externus verò ſic vocatur, quòd extra rem,

non autem abs re ſit, de qua loquimur.

Loci interni numero ſunt ſexdecim, ſcilicet Definitio, Partium enumeratio, Notatio, Conjugata, Genus, Species, ſeu Forma, Similitudo, Diſſimilitudo, Contraria, Repugnantia, Adjuncta, Antecedentia, Conſequentia, Cauſæ, Effectus, & Comparatio majorum, minorum, & parium.

Externi loci ſex licet enumerentur a Rhetoribus, qui ſunt Judicia, Leges, Tormenta, Tabulæ, Juſiurandum, & Teſtes; omnes tamen ad unum libenter redigerem, hoc eſt ad teſtimonium, ſive ſcriptum illud ſit, ſive ore prolatum, quod in divinum dividitur, & humanum: & plerumque ſunt auctoritates divinarum, & humanarum legum, & Sanctorum Patrum, ac bonorum Scriptorum, qua de re capite tertio prolocuti ſumus.

De

DEfinitio eſt oratio explicans naturam, vel eſſentiam rei. Hæc ex genere, & differentia conſtat; ut hominis definitio eſt Animal rationale: ubi animal eſt genus, per quod homo cum cęteris animantibus convenit: per rationale conſtituitur differentia, qua ab aliis diſtinguitur. Hoc loco philoſophi preſſiùs, ac religioſiùs utuntur; oratores verò ad deſcriptionis morem potius definitionem tractant, quæ, ſi per tranſlata efferatur, ſuavitatem valde accomodam continet: unde ſi plures ſimul habeantur definitiones, conglobatæ dicuntur; exempli gratia: ſi hunc terrarum orbem oratoriè quis definire velit, tali modo a definitionibus conglobatis explicare poteſt: *Quid aliud eſt hæc terra, quàm infelix Ægyptus, in qua hominum conditio inter labores, & ærumnas de-*

detinetur captiva? Eſt infœcunda ſolitudo, ubi poſiti a cœleſti miſeri patria peregrinamur: eſt horrens, & ſæva militia, quæ nos cum hoſtibus potentia validiſſimis decertantes exponit: eſt oceanus tempeſtatibus inſanus, in quo aſſiduis concupiſcentiæ jactamur fluctibus. His oratoriis definitionibus magis per ſimilitudinem deſcribi hunc terraqueum globum, quàm verè definiri cognoſcetis.

De Partium enumeratione.
CAP. VI.

PArtium enumeratio, quæ eſt in ſuas partes rei alicuius diſtributio, ſicuti clariſſimè per ſe patet, ita argumentis vehementioribus latiſſimam ſternit viam. Quamquam ad maiorem probationis vim ſingulas partes enunciare præſtat, non omnes tamen in medium ſemper afferantur neceſſe eſt, ſed eę tantum, quæ ad rem magis conducunt. Sanctus

Gre-

Gregorius Pontifex Maximus ad Hebræorum cordis duritiem arguendam adeo firmum ex hoc loco argumentum deſumpſit, ut nullum præter obſtinati animi perfugium illis reliquerit, ſicuti videre eſt in homilia decima in Evangelium. Oſtendit ille, quod mundus univerſus per ſuas partes diſtributus Deum auctorem ſuum in terram veniſſe teſtatus eſt. Sic ait. *Deum hunc Cæli cognoverunt, quia ſtellam protinus miſerunt. Mare cognovit, quia ſub plantis ejus calcabile ſe præbuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis ſuæ radios abſcondit. Saxa, & parietes agnoverunt, quia tempore mortis ejus ſciſſa ſunt. Infernus agnovit, quia hos, quos tenebat mortuos reddidit; & tamen hunc adhuc infidelium Iudæorum corda Deum eſſe minimè cognoſcunt.*

Ordo in partibus enumerandis ad prudentis oratoris iudicium ſpe-

ſpectat, qui ſuo quamque loco ponere debet. Illud breviter dicam, quòd aliquando nobiliores, nonnunquam antiquiores partes primam obtinent ſedem; ſæpe è contra viliores, & infirmiores prius partes explicantur iuxta ſententiam, & orationem; ſæpius nulla dignitatis, ſeu vetuſtatis habita ratione pro rerum ipſarum ſignificatione eas diſponere expedit.

De Notatione, & Conjugatis. *CAP. VII.*

QUæ a Latinis, & præſertim a Cicerone dicta eſt Notatio, apud Græcos Etymologia eſt. Ea definitur quædam nominis interpretatio, vel potius verborum originis inquiſitio. Hæc argumentum ſalibus refertum, & argutiis eruditum ad ingenii magis acumen, quam ad fidem faciendam proponit; ut ſi quis cælibem vitam commendare velit,

ſic loqueretur: *Nonne cælibes magna fruuntur felicitate, qui in hac terra quaſi cælites, vel cæleſtes ſunt?* vel hoc alio modo: Philoſophi laudandi ſunt. *Quis philoſophos ſpernet, dum ſapientiæ amatores dicuntur?* vel ſi quis hominem ſuperbiæ arguere velit, hac ratione reprehendet: *Cur ſuperbis homo, cum humus ſis, præterea nihil?*

Conjugata appellantur, quæ orta ab uno variè flectuntur, & ſunt veluti primitiva, & derivativa: *ut amo, amor, amicus, amicitia*, quæ cum ſint Notationi valde affinia, ideo unico ea capite comprehenduntur. Ab his ita argumentum deduci poteſt: *Felices homines, qui in hoc aureo quidem ſeculo nati ſunt, in quo plurimi habetur aurum.* Divus Auguſtinus paſſim argumenta a Notatione, & Conjugatis eruta adhibet. Sed ut veriùs dicam, ea plus delectationis, quàm roboris in ſe retinent.

GEnus eſt, quod pluribus pręeſt ſpeciebus, ſive formis ſui ipſius communione ſimilibus: ut animal dicitur genus, quia hominem, leonem, equum, canem, &c. ſub ſe continet, quibus omnibus hoc genus animal ſe ipſum communicat; recte enim dicitur homo eſt animal, leo eſt animal, & ſic de cæteris. Ita arbor dicitur genus, nam quercum, cypreſſum, & alias complectitur, quibus arboris denominatio bene convenit. Unde orator rem propoſitam firmiſſimè probare poterit, ſi ad ejus genus ſtatim recurret: ſit exemplum: Raphaelem Archangelum laudibus dignum proponat, ſi illum commendaverit, quod ſit Angelus, argumentum a genere decerpet; ideoque angelicæ conditionis encomium in D. Raphaelem refundetur. Eadem pariter

ratione quis ad voluntarios pænitentiæ labores, & cruciatus hortari volet auditores; ne pænarum terrorem illis incutiat; priùs alacri animo virtutem, quæ eſt genus, ampleſtendam eſſe oſtendet. Magnam quoque argumentorum vim ſuppeditabit oratori Genus, cum propoſitio adeo tenuis fuerit, ut ad eam firmandam vel nulla, vel pauca ferè dici poſſe videantur; ſicut in iis Sanctorum ſolemnitatibus evenit, de quibus vix aliud notum eſt, quàm quod beatitudine apud Deum in Cælis fruuntur. Priùs igitur, quo in Sanctorum ordine aſcripti ſint, videndum eſt; tunc enim inter dicendi anguſtias magnum eloquentiæ theatrum reſerabitur, ſi genus illud laudaverimus: ut ſi in martyrum ille numerum relatus fuerit, martyrium ipſum laudibus extollemus; ſi inter pænitentes, pænitentiam; ſi inter virgines, virginitatem celebra-

lebrabimus, & ſic de aliis; ea tamen prudentia, ut ſi non omnia, nonnulla ſaltem ſancto illi tribuenda judicaverimus. Aliqui hoc loco docent, quod potius propoſitionem aliquam ex illa ſolemnitate accipiamus, quæ propoſitio ideo loco, tempori, aliiſque circumſtantiis conveniat, quàm in huiuſmodi anguſtiis propoſitionem ad aliquid generale reducere. Plures in hoc loco Theſim explicant, ego verò fuſius de ea capite vigeſimo agam.

De Speciebus, ſive de Formis.
CAP. IX.

GEnere probè percepto facilè cognoſcuntur & ſpecies, quæ ſunt veluti quædam partes illi ſubjectæ. Illud præterea animadvertendum eſt, quòd ſpecies, ſeu formæ a partibus diſcrepant, ſicut genus a toto. Nam genus in ſpeciebus ſingulis tacitè reperitur, ut ſuperiori capite annuimus,

mus ; totum verò, quamvis varias amplectatur partes, non tamen illis ineſt ; non enim fateri poſſumus, manum, quæ eſt pars corporis, eſſe corpus, ſicuti prudentiam, quæ eſt ſpecies virtutis generi ſubjecta, virtutem eſſe aſſerimus. Præcepta in ſpeciebus exponendis eadem omnino ſunt, quæ de partium enumeratione tradita fuere, ex quibus argumenta hujuſmodi conſtitui poſſunt ad oſtendendam virtutis acquiſitionem ſic: *Cum à natura omnium animis inditum ſit ius cuique ſuum tribuendum eſſe, cumque in adverſis conſtanter perferendis neſcio quid excellentiùs eniteat; & in pravis coërcendis motibus maxima habeatur laus; denique cum in rebus peragendis moderata quædam commendetur proſpicientia, quis inficias ibit homines hiſce animi dotibus ſeſe ornare debere?* Ubi videtis, quòd oſtenditur virtus quærenda probationibus ab eius ſpe-

ciebus deſumptis, quæ ſunt juſtitia; fortitudo, temperantia, & prudentia. Pari ratione ſiquis à Deo terrarum globum arboribus ſuperindutum eſſe demonſtrare velit, eas per ſpecies ita oſtendet: *Deus optimus maximus Libanum cedris ad ſuavitatem ornavit, cupreſſos in Sion ad amœnitatem extulit, quercus in Baſan collibus ad fortitudinem indicandam ſevit, ceteraſque plantas in arvis ad hominum delectationem produci imperavit.* In hoc exemplo non arborum ſpecies tantùm, ſed nonnulla etiam loca propter dicendi venuſtatem enumerantur.

De Similitudine. CAP. X.

Similitudo explicatur rerum diverſarum in aliquo communio, ut ſi ſapientiam laudare velis; eam veluti ſolem dices: quamquam etenim ſapientia, & Sol multum inter ſe diſtant, in hoc tamen conveniunt, quòd ſicuti

cuti Sol Cælum, ita Sapientia mentem illuminat. Similitudo plus ornamenti orationi confert; ſi ex rebus naturæ ſubjectis, & præcipuè ex cæleſtibus comparetur: ad quæ dignoſcenda philoſophia (ut ſuperiùs dictum eſt) plurimùm præſtat opis, & facilitatis. Eà potiſſimum utimur ad rem clariùs demonſtrandam, ſed ad delectationem plurimùm valet: ut ſi quis D. Philippum Neri totis viribus in proximorum ſalutem incubuiſſe demonſtraturus ſit, ſimulque accenſo animi ardore in Deum fuiſſe profuſum, hanc adhibere ſimilitudinem poterit: *Sicut Sol Cælo affixus planetas alios nitore ditare ſolet; atque interea terris omnibus ſparſus limum in aurum calore convertere non dedignatur; ſic Philippus aſſiduo mentis ardore in Cælum elatus animas peccati ſarcina oppreſſas ad ſupernæ gratiæ ſplendorem incenſo verborum, atque exempli zelo eri-*

gendas curabat. Particulæ,quibus ſimilitudo clariùs innoteſcit, ut plurimùm ſunt hæ: ut, ſicut, veluti, quemadmodum, qualiter, taliter, non aliter, haud ſecus ac, &c. quæ fere ſemper duæ ſibi invicem reſpondentes ponuntur; ideſt altera ſimilitudini apponitur, altera verò rei per ſimilitudinem oſtenſæ adiicitur, ut in allato exemplo apparet, in quo videtis, quod, *ſicuti*, anteponitur ſoli, qui ſimilitudinis materiem præbet; *ſic*, additur D. Philippo, cuius amor, & zelus eadem ſimilitudine explicatur. Aliquando ſimilitudini tantùm, vel rei ſimilitudini appoſitæ una tantum particula adjungitur: ut *Philippus animas ad ſe trahebat, ut magnes ferrum*. Nonnunquam nullæ explicantur particulæ, quòd præſertim ſervatur in definitionibus conglobatis, quæ, ut jam annuimus, per tranſlata, hoc eſt per ſimilitudinem effe-

efferuntur : ut *Virtus eſt cynoſura, quam omnes reſpicere debent. Mundus eſt mare magnum. Sol eſt mundi oculus. Flores ſunt pratorum gemmæ* : & aliæ plurimæ, quæ ſtudentibus facilè occurrent.

De Diſſimili. CAP. XI.

UT Similitudo dicitur diverſorum in re aliqua unio, ita Diſſimilitudo definietur diverſa rerum inter ſe collatarum affectio, ut ſi quis brevem hominum ætatem à diſſimili oſtendere quærat, hac ratione explicare poterit : *Quàm infelix humanæ vitæ conditio ſit, ex hoc cognoſcitur, quòd diei brevitate miſerior exiſtit; nam, quanquam dies cadente Sole perit, eo tamen oriente renaſcitur. Secus vero hominum ætati accidit, quæ ſi ſemel occumbat, ad vitam nequaquam revocatur*. Ex hoc loco argumentum depromptum tractatur, ſicut de ſimilitudine explanatum eſt : hoc

eſt vel cum particulis ſibi reſpondentibus, vel uni tantùm rei additis, vel neque diſſimili, neque rei diſſimilitudini adverſæ adiunctis. Particulæ, quæ Diſſimili conveniunt, hæ afferuntur: aliter, ſecus, non ut, non ſic, non ita, diſpar, diſſimile, diſpari, vel diſſimili modo.

De Contrariis. CAP. XII.

CONtraria in quatuor genera dividuntur, adverſa ſcilicet, contradicentia, privantia, & relativa. Adverſa, quæ contrariorum nomine potiſſimùm gaudent, ea ſunt, quæ eidem rei ſimul convenire non poſſunt, ſed mutuò ab eodem expelluntur ſubiecto, & in qualitatibus conſiſtunt; ut calor, & frigus, &c. Sit exemplũ de D. Ioanne Chryſoſtomo: *Neſcio an præclara commendatione dignior videatur Ioannes, quòd ferreus fuerit, an quòd aureus: ferreus enim tolerantia ſem-*

per

per extitit, qua maximorum Principum terrores, minas, exilium, mortem denique pro divini numinis gloria nihili putāvit. aureum verò eloquentia eum reddidit, quia divina oracula ita elucidè explicavit, ut errorum tenebras procul evaneſcere coëgerit. Ubi videtis inter *aureum*, & *ferreum* argumentum reſilire vivacius, quia ex adverſis conſtat.

Contradicentia, quę omnium maximè inter ſe pugnant, dicuntur illa, quorum unum aſſirmat, quicquid ab alio negatur. Quapropter negantia quoque appellantur, & a Dialecticis contradictoria: *ut velle, & nolle; bonum facere, & non facere, &c.* Argumenti a contradicentibus talis eſt formula: *Chriſtus Deus iniuſta morte damnatus fuit; quìd enim mali fecit? nullum. Immo quid boni non fecit? plurimum fecit: non enim aliena rapuit, ſed ſua tradidit: non vitam hominibus eripuit, ſed donavit:*

 vit:

vit : Cæſari tributa non negavit , ſed dedit , eique ſolvenda aſſeruit . Quæ igitur eius necis cauſa affertur ? Atqui vera , non falſa docuit ; Deum præcipuo honore colendum cenſuit , non ſpernendum , &c.

Privantia ea ſunt , quorum unum alterius privationem ſignificat ; ut *lux* , *tenebræ* ; *mors* , & *vita* . A privativis ſit illud : *Admirabile omnes cognoſcimus , quod latro apud Deum patibulatus tunc bene vivere didicit , quando mori inceperat* . Ubi *vivere* , & *mori* , quia privantia ſunt , elegantiorem conſtituunt ſermonem .

Relativa denique ſunt , quæ ſibi licet adverſentur , unum tamen ſine altero eſſe nequit : ut *pater* , & *filius* ; *dominus* , & *ſeruus* ; *magiſter* , & *diſcipulus* . Eorum autem ſit exemplum in D. Thomæ Aquinatis commendationem humilitatis : *D. Thomas nunquam adeo eloquens magiſter extitit , niſi quando diſcipulus viſus eſt mutus : & quam-*

& quamvis humilitate, atque animi demiſſione eximia præditus fuerit, incertum tamen eſt, utrum chriſtianam religionem doctrina ipſe filius magis illuſtraverit, quàm pater eius Dominicus eandem probitate dilataverit.

Allatæ Contrariorum definitiones a Dialecticis ſtrictè, & religiosè tractantur, ab oratoribus verò liberiùs, atque ornatiùs exponuntur; ideoque priores tres contrariorum ſpecies mutuò in orationibus permiſcentur, ex quibus admirabiles fiunt argutiæ, quæ ad ſermonem nobilitandum tantoperè faciunt.

In omnibus autem contrariis Illud in primis cavendum eſt, ne puerile quicquam proferatur; ſiquidem arguta eorum venuſtas tota corrueret.

***

REpugnantia in hoc a contrariis diſcrepant, quod contraria ſimul eſſe in eodem ſubiecto nequeunt, repugnantia utique ſimul eſſe poſſunt; externa namque tantùm facie adverſari videntur, cum re vera aliquando poſſint uniri. Regula repugnantium efficiendorum ea eſt, ut uno ex contrariis aſsumpto alterius effectus explicetur: ut ſi demonſtrare velim, quòd cacodæmones hominem odio proſequuntur, veritatem hanc per repugnantia palàm hac ratione faciam. Primùm amorem, & odium inter ſe conferam, deinde pro odio aliquem eiuſdem effectum ponam, ideſt bona auferre illius, quem odio inſectamur, tum ſic explicabo: *Quis hominem a tartareis hoſtibus amari dixerit, dum ex ipſius anima optima, & cæleſtia abripere bona conantur?*

Ubi

Ubi apparet, aliquem diligere, eumque bonis ſpoliare, valde repugnare, licet contraria non ſint; Deus etenim, quos amat, ab hujus terræ divitiis, voluptatibus, cæteriſque deliciis abſtrahit: quòd pariter cum repugnantibus, ab oratore ita probari poteſt. *Deus hominem nequaquam odiſſe videtur, ſi quando eum rebus urget adverſis, quoniam per infortunia ſupernis chariſmatis mortalium animos locupletat, & a pravis ſenſus voluptatibus eos deterrens ad cæleſtia tendere cogit: humana denique auferens æterna, eaque ſuaviſſima tribuit dona.* Ubi multiplex cognoſcitur amoris effectus, qui odio repugnat.

De Adjunctis. CAP. XIV.

QUæ a philoſophis accidentia, a Rhetoribus adiuncta nuncupantur; & ſicut illi accidens definiunt id, quod poteſt adeſſe, & abeſſe a ſubiecto præ-

ter eiuſdem corruptionem : ita hi ea ſtatuunt adiuncta , quæ rei non neceſſariò adhærent ; nam quod homo aliquis Romanus ſit , vel Florentinus , ipſi non ex neceſſitate convenit . Illud etiam ſciendum eſt , quod latiſſimè patent adiuncta , & facunda dicendi copia non aliunde aut uberiùs gignitur , aut venuſtiùs effloreſcit . Ut autem aliquis modus , & regula eloquentiæ candidatis tradatur , ea omnia uno tantum verſu (variis Rhetorum diviſionibus prætermiſſis) claudantur .

Quis , quid , ubi , quibus auxiliis , cur , quomodo , quando .

Quis , hominis, vel rei alicujus qualitatem ſignificat , quæ efficientis cauſæ gerat vicem . Inter innumera , quæ hominem ſpectant , adiuncta , ne orator eorum confuſione impediatur , omnia ad tria redigentur capita , videlicet , quæ illum antecedunt, quæ eius vitam comitantur , quęque

quæ eius obitum ſequuntur. Ante hominem ſunt patria, natio, majores, & parentes; præterea ſigna, ſi quæ ante ipſius ortum acciderunt, & oracula eundem magnum declaratura virum. Quæ hominem comitantur, ſunt ipſius geſta, quæ ex tribus fontibus emanant; in homine enim ea animadvertuntur, quæ animi, corporis, & fortunæ bona vulgò dicuntur. Animum reſpiciunt virtutes, tum quæ voluntatem, tum quæ mentem exornant, qui primus fons copioſiſſimus extat. Ad corpus ſpectant valitudo vel bona, vel adverſa, oris pulcritudo, diſpoſita, & valida membrorum venuſtas, totiuſque corporis habitus non ſpernendus; ex quo ſecundo fonte quamvis actiones laude parum dignę provenire videantur, magnam tamen dicendi copiam oratori præbebunt, ſi ex iis commendabile quicquam promanaverit, ut in morborum

gra-

gravitate , ac diuturnitate tolerantia, in pulcritudine modeſtia , in viribus labor, & pęnitentia. Inter fortunæ bona divitiæ, opes, dignitates , & alia id generis erunt . Quapropter ille maximè commendabitur , qui divitias ad pauperes ſublevandos adhibuerit , opibus,atque potentia ad innocentiam tuendam , & impios , petulanteſque coërcendos uſus fuerit ; dignitatem verò , & honores potius ſpreverit , quàm aucupatus fuerit ; vel ille magis muneribus , quàm munera illi ſplendorem addiderint . Si vero illis quis caruerit , non mediocris aderit commendationis cauſa ; quoniam in paupertate non ſolùm animi virtute , ſed & lætitia abundaverit ; ſi opibus, atque humana deſtitutus potentia maximam in Deo ſpem collocaverit . Si autem nullo præfulſerit honore , ad Apoſtolorum exemplum gaudens fuerit , & pro Dei no-

nomine contumeliam paſſus fuerit. Quæ vero mortem ſequuntur, multa laude digna cenſentur; nam inter defuncti encomia filii enumerantur, quos ſuæ virtutis imitatores procreaverit, ſcripta etiam, quæ ad poſterorum doctrinam ediderit. In Sanctis verò non deerunt res miræ, urbium, ac provinciarum tutela, & alia huiuſmodi.

Quid, rei magnitudinem explicat, quæ quò nobilior erit, eò prꝺſtantius argumentum oratori ſuppeditabit.

Ubi, locum deſignat, in quo multa conſideranda occurrent pro cujuſque rei materia: ut in D. Ioannis Baptiſtę laude locus invius, deſertus, aſper, & cotibus præruptus multum ad eius pænitentiam deſcribendam conferet.

Quibus auxiliis, ſocios, præſidia, inſtrumenta, & ſimilia denotat.

Cur, finalem cauſam explicat, ideſt

ideſt qua cupiditate; qua intentione, &c.

Quomodo, modum ipſum ſignificat, hoc eſt quàm facilè, quàm graviter aliquid actum ſit, &c.

Quando, temporis circumſtantias indicat, quod triplex vulgò dicitur, pręteritum ſcilicet, pręſens, & futurum.

Breve omnium adiunctorum ſimul collectorum afferatur exemplum, quod ex cujuſcunque voluntate amplificari poterit. Demonſtrandum eſt, quàm immanes fuerint Chriſti Domini cruciatus, in quibus enarrandis omnes perpendantur circumſtantiæ:

quis: *Dicam Filium Dei omnium conditorem, ac Dominum corpore præſtantiſſimum &c. ea*

quid. *perpeſſum fuiſſe, quæ poſt hominum memoriam atrociora nullus audivit* (hic enumerari poſſunt cruciatus)

ubi. *Hieroſolymis, quæ Urbs tunc tẽporis omniũ maxima erat, & ab ipſo innu-*

innumeris affecta beneficiis.

quibus auxiliis. *Præterea immaniſſimis crudelitatis inſtrumentis*, (quæ recenſenda ſunt)

cur. *ut hominum ingrati animi damnatorum, & gehennæ incendio devotorum culpas expiaret.*

quomodo. *Atqui libentiſſimè, & magna alacritate uſque ad necem ea omnia perpeſſus eſt*,

quando. *quando ad Paſchatis celebrationem innumera ex toto terrarum orbe populorum multitudo confluxerat.*

Quæ adiuncta ſi ordine, & ornatu oratorio diſponantur, ad Domini patientis commiſeratione, ac peccatorum dolorem ex duriſſimis excitandum pectoribus plurimum pollent.

De Antecedentibus, & Conſequentibus. CAP. XV.

ANtecedentia, & Conſequentia rem neceſſario antecedunt, & ſequuntur ita, ut utra-

utraque inter ſe cohæreant. Quapropter ab Adjunctis diſtinguuntur. Adjuncta enim nulla neceſſitate ei rei coniunguntur, ad quam accedunt; ut *dies ſudus*, & *dies nubilus* adiuncta ſunt; ſerenitas namque, & nubes nullo neceſſitatis vinculo ad diem pertinent. Si vero dicas, *Petrus in corde vulneratus eſt*, *ergo morietur*; vulnus erit antecedens, & mors conſequens, quia vulnus cordis mortem neceſſario antecedit, atque hęc illud neceſſariò ſequitur. Ex hoc loco multiplex affertur ſacris oratoribus materies, ut dixi de adiunctis; nam quando oſtendunt peccata fugienda eſſe, demonſtrabunt ex eorum conſequentibus malis. Pariter ſi quis mortis terrores in auditorum animis incutere velit, ab eiuſdem mortis antecedentibus deſumere poterit.

De

De Cauſis, CAP. XVI.

CAuſa eſt, quæ ſua vi illud efficit, cujus cauſa eſt. Ea quadruplex eſt, efficiens videlicet, materialis, formalis, & finalis.

Cauſa efficiens eſt, quæ aliquid propriè efficit, unde etiam nomen ſortitur; ut *ſol diei cauſa eſt efficiens*, ſic *faber ferrarius gladii*, *ſculptor ſtatuæ*. Ad hanc reducuntur urbium conditores, legum latores, patres familias, &c. idcirco ſi quid laudamus, vèl vituperamus, ſuademus, diſſuademus, ad illud confirmandum magni momenti erit cauſa efficiens commendata, vel vituperata; ut ſi ad virtutem hortamur, eam ab auctore Domino provenire docebimus, qui omnium maximè laude dignus eſt. Eadem ratione ſi à vitiis deterreamus, illa à dæmone, & a pravis cupiditatibus emanare demonſtrabimus: ſic reli-

ligioſam familiam ab ipſius inſtitutore commendabimus.

Materialis eſt, ex qua quicquam compactum eſt, ut *ex marmore ſtatua*, *ex auro*, *vel argento patera*: ex hac ita argumentamur: quò nobilior, vel humilior res eſt, ex qua aliquid fit, eò majùs claritatis, vel obſcuritatis ad rem accedat neceſſe eſt: ut ſi hominem ad animi demiſſionem excitemus, ab ipſius hominis materia; videlicet ab humo, & ſordibus, quibus conſtat, argumentum accipiemus. Si autem ad Cælum aſpirare eundem admoneamus, illud ex lucidiſſimis corporibus, vel potius ex pretioſis margaritis, & auro, ut apud Apocalypſim legimus, compactum aſtruemus.

Formalis eſt, quæ rem talem conſtituit, ut ab omnibus aliis diſtinguatur: ut animus eſt forma hominis; per ipſum etenim homo à cæteris animantibus differt.

fert. Sic omnium rerum ſua forma eſt. Ab ea ducitur argumentum ſic: quanto nobilior forma eſt, pari nobilitate rem eſſe aſſerimus, quæ per ipſam formam conſtituitur: ut *homo laude dignus eſt propter ſuam formam; hoc eſt animam rationalem*.

Finalis eſt, cuius gratia fit aliquid, ut ſanitas eſt finis medicinæ, mercaturę finis lucrum eſt, illa enim propter valetudinem adhibetur, hęc propter quęſtum exercetur. Unde ſi rem aliquam laudare velimus, eius rei finis honeſtus, & commendandus oſtendetur. Si vero ab ea auditores avertere cupiamus, ejus rei finem turpem demonſtrabimus; unicuique enim rei vel fugam, vel amorem conciliat finis. Ita ſi ad bellum, quod magnæ iacturę eſt, & fugiendum videtur, milites hortaturus eſt orator, ab eius fine, a pace ſcilicet, vel à Fide Chriſtiana dilatanda, vel

ab

ab alia re, quę belli finis erit, argumentum deſumet.

De Effectis. CAP. XVII.

Effecta ſunt, quæ a cauſis oriuntur; quapropter cauſis bene cognitis, effectus bene percipiantur neceſſe eſt; unde nec ſermo de his protrahendus eſt, nec de ſingularum cauſarum effectis dicendum videtur; ſuos namque effectus unaquæque habet cauſa. Illud ſciendum eſt, quòd locus hic omnium ferè uberrimus ad argumenta haurienda eſt, quę vehementiorem in ſe vim continent. Unde ſi homines a vitiis deterreamus, vitiorum effecta monſtrabimus, ſi ad virtutem, ea, quę ipſam ſequuntur, effecta, ob oculos proponemus. Ita ſi vel condemnare, vel commendare aliquid mens eſt, effectus argumenta prę̨ſtabunt.

De

COmparatio eſt unius rei cum altera collatio; ejus forma triplex eſt, ideſt Comparatio a majori ad minus, a minori ad majus, & a pari. Comparatio a maiori ad minus duobus modis explicatur; primò quando aliquid valet in maiori, in minori etiam valeat neceſſe eſt; ut *occidiſti gigantem, ergo multò magis homuncionem*. Secundo quòd ad argumentum magis ſpectat, ſic explicatur; quicquid probabile in maiori propoſitione videtur, probabilius in minore erit; ut *verba ferre non potes, multò minùs verbera*. Ubi obſervandum eſt, quòd magis probabile apparet ferre verba, & minùs probabile ferre verbera.

Comparatio a minori ad maius utraque ratione, qua ſuperior, explicatur. Primę rationis hoc afferatur exemplum: *Non potes vi-*

viribus deſtituto reſiſtere ; ergo neque valido. Ubi minus videmus eſſe, infirmum conterere, maius vero incolumem.

Secundę explicationis hoc ſubdam exemplum: *Urbem imperator ſolo æquavit, ergo multo magis vicum*.

His ad ingenii acumen prænotatis, dummodo orator argumentum à comparatione validiſſimum adhibeat, parvi intereſt utro modo accipiatur. Argumẽtum ab hujuſmodi comparatione appellatur à fortiori. Ut autem orator hunc locum ornatiùs tractare poſſit, diffuſius exemplum ſubiungam. Aliquis auditores ad labores libenter pro Cælo ferendos hortari deſiderat, argumentum ſic a comparatione deſumet: *Si pro auro, imo pro ſordida pecunia diu, noctuque veſtris inſudatis laboribus, ſicuti et milites pro ſtipendio omnibus ſe ſubiiciunt diſcriminibus, omnia patiuntur incommoda,*

da, quantò magis pro Regno ditiſſimo, atque æternis ſeculis permanſuro, ubi quicquid divitiarum excogitari poteſt, quicquid jucunditatis eſt, poſſidendum tribuitur, labores exiguos tolerare debetis?

De ratione amplificandi materiam, & præſertim argumenta.

CAP. XIX.

QUamquam in ſuperioribus locis enucleandis exemplum amplificatione dilatatum ſæpe ſæpius adduxi, quoniam tamen methodum certam nullam adhibui, ideo illam in præſentiarum tradere mens eſt.

Primus ergò amplificationis modus ſyllogiſmus eſt, qui oratio tribus conſtans propoſitionibus definitur, majori videlicet, minori, & conſequentia: ut ſi velim demonſtrare peccatum fugiendũ eſſe, ita Syllogiſmum conficiam:

Ea, quæ damnum inducunt, fugienda ſunt; ſed ex peccato multa prodeunt detrimenta; ergo peccatum vitandum erit.

Syllogiſmus iſte nudus nullum fere locum in oratorio ſermone obtinet, ſed Rhetorico ſtylo tali pacto ornabitur.

Primò aſſumitur propoſitio major, quæ quantùm quiſque volet, dilatari poteſt hac ratione: *Quæ malum aliquod pariunt, ea homines a ſe amovere curant; ſic nauta ſyrtes fugit, & procellas; ſic viator nihil pavet magis, quàm feras, & graſſatores; ita ægrotus febrim, morboſque a ſe repellere totis viribus conatur, &c.*

Deinde ponatur Propoſitio minor, quæ eſt, quòd a peccato plurima erumpunt damna, quæ ſunt intellectus obcæcatio, voluntatis infirmitas, morbi, ærumnæ, dolores, diſſenſiones, bella, mors, omnia deniq; mala, quę ex Adami ſcelere per totum terrarum orbem diffu-

diffuſa ad hominum uſque memoriam deplorabimus. Addi poteſt inſuper divinæ gratię, æternæq; gloriæ amiſſio, ad perpetua Gehennæ incendia damnatio, quæ enumeratio cum amplificatione, juxta prudentis oratoris judicium dilatanda eſt. Loco conſequentiæ poterit Concionator ad animi motum auditores ciere; mirum enim producunt effectum allato quocunque argumento verba, ſed pauca animos moventia. Hic primus amplificationis modus adeo copioſus extat, ut ad orationem integram concinnandam ſufficiat ſolus Syllogiſmus oratorio ornatu expoſitus. Quod de Syllogiſmo dictũ eſt, enthymematicõvenit, quod imperfectus ſylogiſmus appellatur.

De ſecundo amplificationis modo.

CAP. XX.

AUgetur etiam in dicendo materia per Theſim, & Hypotheſim. Theſis eſt propoſitio indefinita, vel univerſalis:

ut *amanda eſt Virtus: Charitas amplectenda eſt: & ad Rhetoricæ artis ſtudium incumbendum eſt*. Hypotheſis eſt propoſitio loco, tempore, certo hominum genere, vel aliis circumſtantiis definita: ut, *Virtus ab hominibus religioſis amanda eſt: Charitas à divitibus amplectenda: & ad Rhetoricæ artis ſtudium juvenibus eſt incumbendum*. Ubi videtis Theſim ad Hypotheſim facili negotio revocari poſſe.

Quapropter ſi orator propoſitionem particularem, hoc eſt Hypotheſim habeat, & rerum inopia laboret, ad Theſim revertendum illi eſt: ut ſi ad injurias æquo animo ferendas auditores hortari velit a talibus æmulis inflictas, demonſtrabit priùs, quantæ utilitatis, & virtutis ſit aliquid ærumnę libenter pati, deſcendatque poſtea ad injurias particulares perferendas. Eodem pariter modo ſi univerſale quicquam propoſuerit, (quam propoſitionem rarò

pro-

probarem, ex univerſali enim re nunquam ferè moventur auditores) & argumenta dilatare velit, amplificationem ſuppeditabit Hypotheſis. Hæc amplificationis ſecunda ratio multùm in iis proderit orationibus, quæ in viri alicujus commendationem habendæ erunt, cujus res geſtæ ad noſtram memoriam non pervenerunt, ut fuſiùs dictum eſt in capite octavo, ubi de Genere actum fuit.

De tertio amplificationis modo. CAP. XXI.

TErtia amplificationis regula eſt per affirmationem,& negationem. Hoc evenit, quando priuſquam noſtrum explicemus vel aſſertum, vel argumentum, alia negamus, quæ quoquo modo ab illo diſcrepant. Ut methodus hæc facilius percipiatur, in duas dividenda eſt rationes. Primò cum una re negata ſtatim id,quod

aſſerimus, proponitur: ut ſi quis D. Thomam laudare cupiat, ita loquatur. *Non vobis hominem propono vulgarem, ſed virum, qui ferè nihil, præter ortum, terreni videbatur habere, non doctorem erroribus ſubinde obnoxium, verùm alta, & tutiora documenta tradentem, non ambitus cauſam ſuſtinentem, ideoque elatum habentem animum, ſed eò demiſſiorem, quò eruditiorem, denique non per ambages inane hominum ſophos captantem, verùm firmiſſima pro Cœlo tantùm dogmata exponentem.* Secundò quando pluribus negatis aſsertis unum ſolum ultimò ſubjungitur; ut ſi quis ad inimicos amore proſequendos hortari velit, ſic eloqueretur argumentum dilatans. *Non vobis diuturna opprimendum inedia corpus dico, non longinqua ad ſacras ædes viſendas itinera expeto, non ampliſſima patrimonia pauperibus eroganda affirmo, non diris in membra ſæviendum eſſe flagellis expoſco, ſed amo-*

amorem erga hoſtes in animis veſtris deſidero. Hanc amplificationem non explicavi, cum de contrariis agerem; non enim ſemper contraria ſunt, quæ aſſerimus, & quę negamus, ut exemplo proximè allato clariſſimè patet, quamvis oppoſita magis eluceſcant, & venuſtiorem concinnent orationem.

De quarta amplificandi regula. CAP. XXII.

MAximè dilatatur oratio, ſi in rerum enumerationem diffundatur, quæ quoniam partium enumerationi jam traditæ ſimilis eſt, eadem etiam tractatur methodo, quam ibi explicavimus; ab illa tamen in hoc diſcrepat, quòd tunc totius partes enumerantur, hæc verò magis latè patet, cum rerum omnium fieri enumeratio poſſit. Quapropter hęc dilatandi ratio omnia communia loca comprehendit; ideoque enu-

merari poſſunt Definitiones, Genera, & alia, ſed faciliùs cauſæ, effectus, contraria, & adjuncta huic amplificationi ſubjacent; ut ſi quis diſcipulos ad Theologiæ ſtudium hortetur, plurimos ejus effectus colliget. Hac in re multum diffunditur Pater Aloyſius Juglaris in orationibus præcipuè de D. Agnete, & de D. Antonio Sylvicolarum anteſignano, in quarum altera diverſa cruciatuum genera numero comprehendit, in altera verò plurimas, eaſque varias Dæmonum facies, eorumque ſævitias oſtendit. Denique hæc amplificationis ratio, cavendum omninò eſt, ne puerilis, & putida evadat: alioquin ſi prudenter, ſi ordine, & dignitate ſervata res enumerentur, tum pulcherrima accidet oratio, tum materia nequaquam laborabit.

De

De quinta amplificationis regula. CAP. XXIII.

NOn indecora erit ad res augendas ipſarum Deſcriptio, quæ ſi ſapienter contexatur, auditores hac præſertim tempeſtate plurimùm allicit. Ne verò in ea perficienda inordinatè evagemur, brevia ejuſdem pręcepta tradenda ſunt. Primò omnium res, quam deſcribendam ſuſcipimus, in partes diſtribuatur; deinde unaquęque earum per adjuncta explicanda erit: ut ſi demonſtrare velis, quò majorem impendant homines laborem in rebus humanis, quàm in cœleſtibus perquirendis, aliquod hominum genus aſſumere poteris, ut eorum collatis ſtudiis propoſitam cauſam faciliùs comprobes: ut ſi militis vitam per ſuas deſcribas partes, ac munia: videlicet in caſtris movendis, in excubiis juxtà ſtationes habendis,

in pugnando, & in cęteris militię incommodis ; tum ex eorum adjunctis demonſtrabis, quantùm laboris in qualibet exercitatione ſuſtineant, dùm in itineribus pedites gravibus onuſti armis per glaciem in hyeme, per ſabulum fervens in æſtate, per inſidias die, noctu per pericula ſemper vigiles incedere jubentur ; & ſic in prælio diſcrimina, in vigiliis aëris intemperiem, & cęteras in omnibus partibus narrabis ærumnas ; quibus completis inertiam poſtea, ac ſegnitiem conferes in rebus cœleſtibus comparandis cum laboribus ipſius militię, & tamen eos libentiùs pro rebus inanibus, quàm pro æternis patiuntur.

De Rerum Sylva. CAP. XXIV.

DEnique ad promptiorem argumentorum copiam ſylva rerum diligentiſſimè comparanda eſt, quæ etiam ad verba faciliùs

ſcri-

ſcribenda, & proferenda valde conducet:

Verbaque proviſam rem non invita ſequentur: inquit Horatius. Cauſa igitur, ſeu orationis propoſitione conſtituta, libellus quidam ſepoſitus habeatur, in quo, quæ deinceps opus erunt, conſcribi poterunt. Verùm ne in ſupervacaneis otium teratur ambagibus, libri ſerventur diverſi, ut, unde tum ſacras, tum profanas haurire hiſtorias poſſimus, in promptu ſit, unde ſanctorum Patrum explanationes, unde ſimilitudines, unde comparationes, unde ſententias deſumere liceat. Duobus ferè modis talis conſtituitur ſylva, hoc eſt lectione, & meditatione. Quoad lectionem, aſſueſcant oculi præſertim iuvenum bonis potiùs, quàm pluribus autoribus; ſi enim optimam ſemper, quæ maiiibus materiam tenebimus, non ſpernendum dicendi genus citiùs adipiſcemur.

Si vero inferiores pervolverimus libros, difficile a quadam ſermonis demiſſione, noſtram conabimur revocare elocutionem. Neque omnia, quę legentibus occurrent, notanda ſunt, ſed quæ ad rem faciunt.

Meditatione quoque multum, immo plurimũ aſſequemur; quod fit vel ſententiam aliquam, vel apophthegma, vel rem geſtam, vel ſacras litteras attentiori animo revolvendo, atque aliquod ex eis argumentum decerpendo, ad cuius calcem ſententiam ipſam apponemus ita, ut ſermoni noſtro illa accomodatè inſervire videatur. Quamvis autem nil ſub ſole novum reperiatur, nihilque dictum, quod priùs dictum non fuerit; ipſa tamen excogitatio, vel modus ſaltem recens erit, qui ſi cauſę congruenter aptetur, mirificã involuit voluptatem, pręſertim ſi cuius magni viri auctoritate firmabitur.

LI-

LIBER II.

De Diſpoſitione, & ejus partibus.

CAP. I.

MAteria labore improbo, & aſſiduo parata ſtudio informis quędam, atque indigeſta verborum, ac ſententiarum moles eſſet, & congeries, niſi ars eam componeret ordine, qui ad Diſpoſitionem, alteram Rhetoricę partem pertinet. Oratoris igitur munus erit inventam eruditionum copiam in perfectę orationis membra diſtribuere, qua in re pictoris morem ſequetur, qui tabulam rubrica priùs, vel gypſo delineat, ut diſcretis, eiſque aptis colo-

coloribus illam ſubinde effingat: vel urſæ ingenioſam imitabitur operam, quæ fœtum primò edens ineffigiatum, ac rudem, lambendo poſtea oculos, os, caput, totum denique corpus membratim format. Partes, in quas concio dividenda eſt, plures juxta varium dicendi genus enumerantur. Nonnunquam etenim ſex cauſa poſtulat, Exordium videlicet, propoſitionem, narrationem, confirmationem, confutationem, & perorationem, quibus ſæpè Tullius in defenſionibus, & accuſationibus uſus eſt. Illud quoque obſervandum eſt, quod ſæpe propoſitio narrationem ſequitur, & aliquando confutationem confirmatio. Non rarò quinque tantum expediunt, omiſſa ſcilicet confutatione. Plerumque tamen quatuor tantùm partibus oratio contenta eſt, narratione, & confutatione abjecta. Harum partium duæ neceſſariæ dicuntur,

quę ſunt propoſitio, & confirmatio, quia oratio ſine his conſtare non poteſt. Exordium verò, & peroratio, ſive epilogus, integrantes appellantur, quę tamen abſque imperfectionis nota omitti non poſſunt, quoniam in iis auditorum animos movet orator, in prima ſcilicet ad reliquam dictionem audiendam, in altera verò ad cauſam amplectendam.

De dicendi generibus. CAP. II.

DE ſingulis orationis partibus ſermonem inſtituturo pauca priùs de generibus dicendi explicanda mihi ſunt; ineptè enim viam ante docerem, quàm, quò eundum ſit, aperiam. Omne itaque dicendi genus triplex eſt, exornativum, deliberativum, & iudiciale. Nullum unquam profert verbum orator, quin eius ſermo, qualisqualis ille ſit, in tria hęc genera cogatur. Si quidem aut aliquid vituperat, vel commen-

mendat, quod ad exornativum, ſeu demonſtrativum ſpectat: aut aliquid ſuadet, vel diſſuadet, in quo deliberativum apparet genus: aut arguit, ſeu defendit, quod in iudiciale refunditur. His itaque diſpoſitis pręcepta de quibuslibet concionis membris nunc tradenda facilius percipietis.

De Exordio CAP. III.

QUanquam in oratione primas tenet Exordium, nulli tamen auctor eſſem, ut illud elaboret, niſi prius propoſitionem conſtituat, ad eam etenim cętera dicunt ordinem. *Exordium eſt Brevis, ac modeſta oratio, qua concionis animos ad ſe orator audiendum præparat.* Dicitur *brevis*, quoniam cum orationis principium, ac veluti quoddam caput ſit, ineptum appareret monſtrum, ſi eiuſdem corpus latitudine ferè complecteretur. Adiungitur *modeſta*, ſuperba namque dictio prę-

ſer-

ſertim in principio auditores potius avertit, quàm captat : ideoq; vel nullis, vel paucis figuris ornanda eſt. Hoc fiet totum, ſi attentos, si dociles, ſi benevolos eos, qui audiunt reddiderimus. Attentionem comparabimus, ſi nova, ſi utilia, ſi magna, & ad auditores ſpectantia dixerimus. Docilitas verborum, & cauſę perſpicuitate acquiritur. Benevolentiam adipiſcemur, ſi benignitatem, ſi amorem, denique ſi quam amicitię, vel propinquitatis cum populo cauſam oſtenderimus. Quapropter ſtylus concitatus, vocis contentio, & nimia corporis, & virium effractio, quæ non benevolentiam, ſed odium magis conciliant, in exordiis ſunt omnino coërcenda. A delicatulo etiam, & puerili inanium officiorum delinimento, quod riſum, vel ſtomachum plerumque concitat, cavere debet orator.

Quò-

Quotuplex ſit Exordium.
CAP. IIII.

EXordium duplex eſt, Inſinuatio, & Principium. Inſinuatio dicitur Procemium idoneè, & ſuaviter animos a nobis, vel a cauſa alienos pelliciens. Id conſequemur, ſi auditores averſos laudaverimus, & ea, quæ proponimus, non cupiditate aliqua ductos, ſed officii, amoris, iuſtitiæ, & veritatis ſtudio loqui nos aſſeremus. Si verò rei minus gratæ arguendi erunt, illos non vitii accuſare, ſed a vitiis deterrere ſecuritatis gratia dicemus. Inſinuatione venuſtiſſima olim uſus eſt Ioannes della Caſa, qui Carolum V. toti fere orbi devicto imperantem ad Placentiam urbem occupatam reddendam ſuaviſſimè hortatus eſt. Quę cauſa quoniam difficilis eſt, & moleſta, antequam ab ipſo oratore exponatur, Carolum ipſum admira-

mirabili verè eloquentia commendat, tum civitatis reſtitutionem ſicuti rebus ab ipſo geſtis non abhorrere, ità plurimùm laudis eidem conferre demonſtrat.

Principium, alterum exordii genus, & quod proprio exordii nomine gaudet, tunc adhibemus, cum homines ſpontè audientes alloquimur, ut apud nos in ſacris concionibus accidere ſolet: iccirco quæ ſequentur documenta, omnia de illo erunt.

Unde deſumantur exordia.
CAP. V.

EXordia ab oratoris, vel ab auditorum perſonis, vel à loci, temporis, aliiſque rerum adiunctis deſumuntur. Omnium optimus fons ipſa res erit; unde veluti ex viſceribus cauſæ procemium ducitur. Illud in promptu erit, ſi ex aliquo locorum inſitorum hauriatur, præſertim à genere, a cauſis, a contrariis, & ab

ab antecedentibus,ex quibus omnibus copioſa dicendi materies,& exordiorum meſſis exurgit . Cum autem ex re ipſa accipienda exordia dixerim , cavendum tamen moneo, ne in ipſis ea dicamus argumenta , quæ ad confirmationem ſpectant .

De exordio ab oratoris , & auditorum perſonis deſumpto .
CAP. VI.

EXordiorum materiam vix ſe faciet orator; potius aliquādo auditorum, & ſui ipſius ſimul perſonas adducet in exordium , ſępius ſolos auditores. Orator ergo caveat ne in exordio ſe ipſum commendet,ne ſuperbiam ſapiat, quæ odium , non benevolentiam conciliat : ſi vero ſe demiſerit , gravitatem oratoris facile amittet ; ideoque ſatiùs eſt de ſe ipſo ſilentium ſibi imponere , iuxta illud : *Nec te laudaris , nec te culpaveris ipſe* . Quapropter nulla

de

de eo præcepta tradenda videntur.

A ſe ipſo, & ab auditoribus ſimul tunc exordium ducet concionator, quando apud Dynaſtas, ſeu apud viros doctos in Academia aliqua locuturus eſt; nam dicet ſe mirari, quòd cum tot nobiliſſimi, & diſertiſſimi viri ſedeant, ipſe potiſſimum ad dicendum electus ſit, qui neque dignitate, neque eloquentia cum iis minimè ſit comparandus; atque ita exordium proſequetur, in quo ſe cum auditoribus conferet ipſos extollendo, ſeipſum verò demittendo. Verùm, ut ſuperiùs dixi, ratio ſemper habeatur, ne nimia ſui ipſius demiſſio fidem ſibi amittat, & nimia auditorum laus adulationis nota arguatur. Cicero in oratione pro Sexto Roſcio Amerino pulcherrimum præmittit exordium ex hoc loco depromptum. Nomine auditorum hùc veniunt etiam adverſarj, &

tunc

tunc meliùs eſt incommoda narrare, quæ oratorem comitantur, & commoda; quæ inimicis favent, eoſque proſequuntur; ſed hæc ad genus potius iudiciale ſpectant, de quo infra.

Non dedecebit concionatorem de ſe, & de auditoribus nonnulla præfari in exordio, ſi illi de ſe benemeriti fuerint; tunc enim incipere poterit ſe eò aſcendiſſe, quoniam tot, & tanta in ſe collata beneficia ab ipſo taceri non patiuntur, & quòd ea, quæ à Deo, à natura, & à ſtudio ſibi paraverit, ea omnia in dominorum utilitates conferre ſtudet. Sic exorditur Cicero in oratione pro lege Manilia.

Ab auditoribus tantùm meliùs ſumuntur exordia; præſertim quando aliquis dicturus eſt in ædibus ſplendore conſpicuis, aut in urbe præclara. Laudabitur, ſi ab eiuſdem loci commendatione exordietur, quę laus deſumitur

maxi-

maximè à rebus geſtis illius urbis civium ſive domi, ſive belli; ut videre eſt apud Aloyſium Juglaris, qui in oratione de D. Philippo Neri Florentiam Tuſcię Metropolim laudibus exornat, ſimiliter Genuam in alia oratione de Virgine Maria. In enunciandis illis, quæ ad laudandum aſſumuntur, ordo aliquis ſervandus eſt, ut priùs laudari debeant cives propter politiam, propter reipublicæ gubernaculum, deinde propter virtutes, ſive quæ intellectum, ſive quæ voluntatem reſpiciunt. Præclaram etiam materiam præbebit oratori ad civitatis encomium frequens victoria, quæ ab eius incolis relata fuerit.

De exordio ex loci, ac temporis adjunctis. CAP. VII.

Venuſtè etiam deſumuntur exordia ex circumſtantiis loci, et temporis, ac præſertim quan-

quando habenda eſt concio in loco luctuoſis, aut lætis operto periſtromatis propter funus, aut feſtum aliquod. Proderit multum, oratorem atrata, ſeu feſtiva illa interrogare ornamenta, quid ſibi velint eo apparatu inſolito. Atque ita res illas inanimes allocutus cauſam ipſe ſubdet hoc modo: *Iam ſcio quid nobis indicatis. Etiam vos infandum tanti viri fatum lugetis, & magnam totius urbis jacturam, &c.* vel alio modo. Pari ratione in feſto a contrariis; contrariorum ſiquidem eadem eſt diſciplina.

Ex tempore quoque optimè deſumitur orationis procemium, præſertim quando propter inopinatum reipublicę infortunium, ſeu lætitiam aliquis ad populum verba facturus eſt. Tunc licebit vel gaudii, vel mæroris cauſam unà cum tempore explicare in principio, ut ad exultationem, vel ad pænitentiam auditorum

ani-

animi excitari poſſint. Pro exemplo ſit exordium, quod Orator quidam, antequam ſupplicationes pro pluvia a Deo petenda indicerentur, ita contexuit: *Quatuor ab hinc menſibus, auditores, Cęli nobis æenei effecti ſunt, & præſentem Dei ultionem terræ inflictam in eius aritudine oſtendunt: nos verò tot, tantiſque percuſſionibus afflicti Deum, quem ſummopere timere debemus, aſſidue lędere non deſiſtimus? Proximam omnia mortem intentare videmus, & adhuc inſanas corporis, animique illecebras, & voluptates depellere detrectamus? Quin igitur in melius, quæ ignoranter peccavimus, nunc emendemus? prę cipuè dum nobis favet occaſio veniam peccatorum, ſimul & cæli pluviam impretrandi, &c.* Atque ita ille ſupplicationum habendarum cauſam a tempore expoſuit; pariterque pænitentiæ agendæ. Ad cuius ſimilitudinem poterit quis in huiuſcemodi circumſtantiis

orationem magno cum fructu, atque attentione incipere; ſcilicet quando bella, peſtis, aut quid ſimile imminet; (quod Deus avertat) magis etenim ea animos movent, quæ aut adeſſe cernimus, aut adventare metuimus, quàm quæ longè abſunt.

De exordio a genere. CAP. VIII.

A Genere accipi poteſt bene procemium in omnibus orationibus, ſive enim aliquem laudamus Apoſtolum, ſive Martyrem, ſive Præſulem, ſive Pęnitentiæ laudibus inſignem, ſive Virginem, concio ab apoſtolatus, vel martyrii, vel eccleſiarum regiminis, vel pænitentiæ, vel integritatis commendatione incipietur. Si verò ad aliquam hortabimur amplectendam virtutem, aut vitium fugiendum, virtutem priùs laudabimus in genere, vitiumque arguemus. Quæ omnia ad Theſim, et Hypotheſim referuntur, ut aliàs explicatum eſt. Namque

Theſim ineunte exordio dicemus, et in eius calce Hypotheſim ſtatuemus; quæ ſermonis totius cauſa erit. Sit exemplum: Liberalitatem erga pauperes aliquis ſuadere velit, aut erga hoſtem benevolentiam; liberalitatem priùs, & dilectionem in genere commendabit, deinde ad ſingularem propoſitionem deſcendet; hoc eſt ad liberalitatem in egenos, & ad amorem erga inimicos. Qui modus facillimam exordiorum copiam infelici etiam oratori ſuppeditabit. Quapropter a praxi libens, ac volens abſtineo, cum ſole clariora ſint, quæ nunc explicavi.

De exordio a contrariis.

CAP. VIIII.

NOn indecorè illa in exordio ponuntur, quæ ei rei, quam proponere cupis, contraria ſunt, ut ſi demonſtrare peroptes peccatum eſſe fugiendum, in exordio

explicabis quanti gratia divina facienda ſit. Vel ſi Dei amicorum felicitates oſtendere mens eſt, in principio breviter dices, quanta divini numinis inimicos perſequantur infortunia... Omnium optimum mea ſententia erit exordium, in quo altero ex contrariis expoſito, alterum ſtatim inexpectatum pro totius orationis propoſitione ſubjungitur: ut Quàm verè beati illi ſint, in exordio aſſeres, qui Deo uni famulantur, cum ſervire Deo regnare ſit; protinus addes: Quàm altæ igitur dignitatis Sacerdos habendus ſit munere decoratus, cujus verbis Deus optimus maximus præſto quotidie eſt, vel qui Deo opt. max. quodammodo imperat. In hujuſmodi exordiis plurimum judicii adhibendum eſt; non enim ſemper oppoſita juxtà ſe poſita magis eluceſcunt. Quis enim in concione de damnatorum cruciatibus exordium à cœleſti gloria de-

deſumptum commendabit? vel è contra in concione de æternis beatorum voluptatibus principium ab inferorum pœnis deductum comprobabit?

De exordio ab adjunctis.

CAP. X.

CUm innumera ſint adjuncta [ut in primo libro dictum eſt] multifariàm quoque exordia conſtituere poſſunt, nam hominum adjuncta benè in principio ponuntur, quæ vel oratorem, vel auditores, vel illud ſpectant, de quo loquimur. Quoniam verò de his ſatis, ſuperque ſermonem habuimus, modo ſupereſt, ut de antecedentibus exordium conficientibus pauca dicamus. Antecedentia in hoc loco non religioſè ſumuntur, ſed ea omnia, quæ rem per propoſitionem explicandam antecedunt: ut ſi peccatum omninò devitandum eſſe propo-

nat orator, in exordio enunciare poterit quàm beatam vitam egerit homo ante illud patrandum, & cætera omnia, quibus ille fruebatur ante ipſum crimen patratum, quæ bona omnia ab illo eripiuntur.

Unde huc etiam ea libenter referrem geſta, quæ rem propoſitam antecedunt, hiſtoriam videlicet, quę tempeſtatibus hiſce eos, qui audiunt, magnopere delectat, & ex ejuſdem hiſtoriæ adiunctis propoſitionem eruamus. Quæ hiſtoria vel à divinis litteris, & præſertim ab evangelio eius diei, vel à profanis deſumitur, & hoc ſatis ſit de exordio ab hiſtoria.

De aliis exordiorum fontibus.
CAP. XI.

SUnt & alii fontes quamplurimi, ex quibus procemia exhauriuntur, ut ſimilitudo, conſuetudo,

tudo, leges, adagia, & præſertim aliqua ſententia explicata, ex qua exordium sic ſtatuitur. Sententia in principio collocatur, quę deinde per adjuncta, per comparationem, per effectus, & per alios locos in priori libro explicatos amplificabitur, & comprobabitur, qua media amplificatione paulatim ad propoſitionem venietur. Illud in primis obſervandum eſt, quòd ſententia illa ad confirmationem non ſpectet; alioquin confirmatio, & exordiū ſimul mixta reperientur contra boni exordii virtutes.

De exordiis ex abrupto.
CAP. XII.

ALiquando exordia ab ipſa re deducta ex improviſo erumpentem oratorem vehementiori quodam audaciæ impetu efferre præſtat. Quæ sicuti maximam ad hominum mentes, animoſq; per-

movendos vim præferunt , ità cautè , & quàm rariſſimè utendum illis eſt;eorum enim frequentia vileſceret , ad riſum popnlum cieret , & oratorem ultionem potiùs, quàm correctionem quærere demonſtraret . Horum cauſam maximæ animi acerbitates, doloreſque præbent . Hoc facit Cicero in Catilinam ad temerariam proditoris audaciã exprobrandã; nam cum reſpublica Romana diù, patienterque ſceleſti hominis vitia , rapinas , & improbam calliditatem diſſimulaſſet, Tullius cauſam pro republica dicens , veluti tot , tantorumque ſcelerum impatiens ſtatim ita oratione erupit. *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra? &c.* Nos verò illud facilè in cruciatibus Chriſti Domini enarrandis agere poſſumus , ut maximum cordis dolorem demonſtremus . Item in damnatorum apud inferos ſuppliciis exponendis , ut terrore nos affe-

ctos

ctos oſtendamus. Inſuper in ex-
tremi terrore judicii ad audito-
rum pectora concutienda. Præ-
terea ad obſtinatas peccatorum
voluntates a criminibus deterren-
das, cum antea tamen mitibus eos
verbis frequentiùs, ſed fruſtra,
monuerimus.

De forma exordii ex abrupto.

CAP. XIII.

Ex ſuperius dictis totius exor-
dii texendi forma præſcribi-
tur; nam quando in impium divi-
næ legis contemptorem multotiès
ſuaviter, ac fruſtra monitum in-
vehimur, iracundiam quidem,
ſed paternis, non hoſtilibus ver-
bis demonſtrantes hoc modo acri-
ter corripiemus: *Quouſque tan-
dem divina, infelix, abutere pa-
tientia, & novis ſubinde cælum la-
ceſſes criminibus? Nonne diſtrictum
vides cæleſtis ultionis gladium ſuper
iniquam pendere cervicem? nonne*

 æter-

æterna ſentis Gehennæ ardere incendia? nonne tartareos inimicos tibi cernis adſtantes te perditum in carcerem detruſuros ſempiternum? &c. Sic graviora deinceps alia orator concitatis verbis enumerabit ſupplicia, quæ obſtinatum peccatoris animum apud homines, & apud inferos manent, niſi ad meliora revertatur. Poterit & alia hac ratione loqui: *Quòquò, ſceleſte, ruis? effrenatos jam tandem, atque in excidium præcipites cohibe greſſus. Nonne vides, &c.* (ut ſupra). Multæ poſſunt eſſe talium exordiorum formæ, in quibus ſervandum primò eſt, ut affectuum motus proprius ſit; hoc eſt, quod miſerationem non oſtendat orator, cum iracundiam cauſa expoſcit, quæ iracundia non ex odio proveniat, ſed veluti chirurgi ſcalpellum ad ſalutem tantùm feriat.

In concione de extremo Judicio habenda voces non iram, ſed terro-

rorem indicantes vehementiùs proferantur in principio ; nam orator ad cœlum converſus ſic incipiet : *Ergo vos , ò Cœli , qui lucidiſſimis nos ſemper illuminaſtis ſideribus , qui benigno nos aſſiduè intuiti eſtis aſpectu , qui multiplici nos ditaſtis influxu, veſtris aliquando perturbatis motibus lucem , qua nunc fruimur , negantes denſiſſima obvolvemini caligine,& planetarum radiis in furoris ſagittas converſis , mortem undequaque minabimini ? ergo terra , quæ arborum varietate, herbarum luxuria, ac florum ſuavitate humanos ſenſus recreaſti , aliquando horrendo concuſſa ſtrepitu , & continuis undique combuſta flammarum vaporibus viventes nos amplius ſuſtinere abnuens frequenti abſorbebis hiatu? &c.* atque alia eodem modo demonſtranda ſunt terroris ſigna,quæ ultimam adeſſe diem ſignificent . Itaque orator territus alios etiam faciliùs terrebit.

In damnatorum cruciatibus aperiendis concionator pariter magno ardore metum Gehennæ in auditorum animis commovebit per apoſtrophen ad Divitem Evangelii ſempiternis devotum ſuppliciis hac ratione : *Ubinam, o infelicium miſerrime, ubinam convivia illa ſunt, quibus accumbens adeo ſplendidè epulabaris ? ubinam veſtes purpura, auroque contextæ, quibus induebare ? ubinam ingens pecuniæ vis, propter quam ter, & quater te beatum appellabas ? ubi opes ? ubi facultates ? ubi pecuaria res ſatis ampla, & benè culta ? ubi prædia ? ubi grex famulorum ? adeone citò evanuere omnia, atque tibi perierunt ? tu verò omnibus bonis expulſus, pœnarum tantùm dives tot ſolatiorum cauſas in acerbiſſimas, eaſque intolerabiles ærumnas mutatas æternum lues ?* Hìc divitis illius ſupplicia brevi enarrabuntur.

In Chriſti verò Domini morte deploranda multimodè exordiri ora-

oratori licebit pro motuum animorum varietate. Poterit primò diras in Hebræos tanti parricidii participes precari, eoſdem impietatis accuſans hoc modo: *Ad quid hominum ingratiſſimi frequentibus votis, precibuſque enixè effuſis Cœlum rogaviſtis, ut Juſtum plueret, ſi acceptum immaniſſimis confoſſum vulneribus è medio ſuſtuliſtis? Siccine Creatorem veſtrum æque, ac Redemptorem in cruce ſublatum animam agere coëgiſtis? &c.* Poterit etiam dolorem ex imis præcordiis ſic revocare: *Proh dolor! heu miſerum! quot damna, quot dolores mihi ſuperſunt? Dominus meus, & Deus meus totus deſiderabilis in pœnarum oceanum demerſus, anguſtiis undique preſſus ſpiritum emiſit, &c.* Licebit etiam petras, ſepulcra, velum templi, montes, ſolem, cœlos, mundum denique totum alloqui tali pacto: *Quid, ò ſaxa, veſtris indicatis concuſſibus? quid velum templi tua ſciſſione? quid, &c.*

Ah

Ab non ignoro. Magnum quid portenditis; rerum Conditorem mortem ſubiiſſe prædicatis.

Hæc exordiorum exempla propoſui, ut ex his alia ejuſdem rationis confingantur. Ad cujus præcepti regulam ſciendum eſt, quòd omnes animi motus ad quatuor rediguntur capita, ad amorem ſcilicet, & gaudium, quo rem præſentem, ſeu præteritam proſequimur, ut cum ad ſummum Bonum, ſcilicet Deum amandum auditores hortamur, & in hoc ſuavitatem oſtendimus. Secundo ad dolorem, ut cum aliquod amiſſum bonum, ut divinam gratiam ploramus. Tertio ad deſiderium, ut cum ad futuram rem, velut ad cœlum acquirendum, auditores ſuademus, quod fit in concione de Paradiſo, in cujus exordio ſpem, & lætitiam præferemus. Quarto ad timorem, ut accidit in oratione de pœnis apud inferos ſuſtinendis, & de catholico

judi-

judicio, & tunc mœſtitiam, & metum oſtendemus.

Illud poſtremò monendum eſt, ut hujuſmodi exordia ex abrupto naturali quidem ardore emanare, ac proferri debeant, verùm tamen arte tractanda ſunt.

De exordio generis Judicialis.

CAP. XIV.

QUæ hactenus de exordio dicta ſunt, ea ad Demonſtrativum, Deliberativum, & Judiciale Genus ſpectare poſſunt. Sed quia oratio judicialis à cęteris multùm diſtinguitur, nonnulla etiam præcepta ab aliis exordiis ſepoſita poſtulat; ideòque pauca de talibus principiis addentur. Præter id, quod diximus, exordium in judiciis ejusmodi eſſe debet, ut ad miſerationem judicem flectat orator, qui reum defendit. Hoc eveniet, ſi ejus innocentiam patefaciat, ſimul adverſariorum inju-

injurias detegat. Inſuper judicem roget, ut veritas multis vexata incõmodis penes illum locũ habeat. Si verò accuſet orator, ad iram, ſævitiamque judicem excitet, & adverſariorum in maleactis ſuperbiam, & audaciam oſtendens, eundem admoneat, ne flagitia impunè graſſari undique permittat. Licebit etiam judicem ipſum terrere, & monere, ut ab juſto Dei, hominumque judicio caveat, ſi nimia, & intempeſtiva commotus pietate in vitia non animadvertat.

Quoniam breve, & facile hoc ad eloquentiam Iter ſacris potius, quàm profanis oratoribus apertum eſt; ideo de Judiciali exordio hæc ſufficiant. Ciceronem conſulat quiſquis de judiciali exordio, & oratione plura diſcere cupiat.

De

De exordii virtutibus, & vitiis.
CAP. XV.

INter præcipuas exordii virtutes quinque enumero, perſpicuitatem videlicet, brevitatem, proprietatem, ſimplicitatem, atque connexionem. Perſpicuitas in eo conſiſtit, quod obſcuris verborum ambagibus omninò reciſis, res dilucidè ponantur; ſi enim principium, in quo orator ſui ipſius ſpecimen præbet, obſcuritatis damnetur, neque attentum, neque docilem reddet auditorem. Brevitas nimiam rerum amplificationem in exordio reſpuit. Nonnulli decimam, vel duodecimam orationis partem exordio tribuunt, ego autem veterum moribus, & præſertim Tullianis inhęrens illius menſurã ſtatuere nequaquã audeo: namq; Cicero vigeſimam illi partem aliquandò aſſignat, ut apud ejus orationes videre eſt.

Illud

Illud dico , quòd cum neceſſitas nulla ſit , ſed potius decor, ut hac noſtra tempeſtate exordium efficiatur ; eò magis probatur , quò breviùs illud erit .

Adeò orationis propriũ erit exordium, ut omninò vileſcat, ſi longè ductũ, veluti quidpiam remotum, orationi jungatur. Neq; laudi oratoribus illis dare poſſum, qui exordia nonnulla communia in libello apud ſe retinent Ciceronis exemplo , qui ea ipſa ab orationibus habebat ſejuncta. Si verò tantum ipſi oratorem ſequantur , commendo , hoc eſt , quòd procemia ab orationibus diſtincta in codice præſcribant , dummodò ea uni concioni apta ſint , & non pluribus communia .

Simplex exordium erit , ſi ab eo nimia figurarum exempla removeantur , præſertim earum , quæ ſententias reſpiciunt , veluti apoſtrophe, proſopopœia, & aliæ, quæ ad animos commovendos

plu-

plurimùm valent ; in principio ſiquidem illa tantùm ſunt dicenda, quæ ad benevolentiam, attentionem, & docilitatem ſolummovent.

Connexio omnium maximè in exordiis requiritur, quæ eſt vinculum procemii cum propoſitione ; quod tanta arte neſtendũ eſt, ut vix ab auditoribus cognoſcatur, ſed à prædictis per ſe propoſitio emanare videatur.

Virtutibus cognitis facilè erit vitia devitare ; vitium namque in hoc virtutis deſiderium eſt ; quoniam, cum ſupradictæ virtutes ſingulæ in omnibus exordiis locum ſibi vindicare debeant, aliqua deficiente vitium protinus appareret. Ita ſi perſpicuum principium non erit, obſcurum fiat neceſſe eſt. ita ſi brevitate careat, ſicuti quoddam monſtrum, caput geret corpori diſſonum. Si proprietas defuerit commune erit ; ſi ſimplicitas, minimè intelli-

telligetur; atque ſeparatum denique erit, niſi ſuis jungatur nexibus.

De Propoſitione. CAP. XVI.

JUxtà plurium orationum Ciceronis rationes exordium ſequetur narratio, nam Tullius ut plurimùm propoſitionem ex narratis deſumit, ut facilè patet in oratione pro Pub. Quinctio, & aliis; ſed quoniam narratio ſæpiùs confirmationis pars eſt, quoniam pro argumento affertur, ut infra dicetur, ea propter propoſitio nunc explicanda erit.

Propoſitio, ſeu orationis cauſa totum id intelligitur, quod probandum aſſumit orator, & ad quod, quæcunque dicit, collimare debent. Ea licet minima, potior tamen orationis pars eſt: ut ſi veſlis demonſtrare peccati occaſionem vitandam eſſe, iſta erit propoſitio, ad quam univerſa ſpecta-

ſtabunt, quæcunque dixeris.

Propoſitio duplex eſt, altera cognitionis, actionis altera. Prima ad intellectum ſolum pertinet, neque opus ad externam praxim conducere jubet, altera verò opus ad praxim reducit. Illa dicitur Speculativa, ut ſi orator demonſtret Angelos ſingulos ſpecie inter ſe differre, quæ propoſitio ad cognitionem tantum attinet. Hæc autem dicitur practica, ut ſi probandum eſſet hominem in terris conſtitutum libentèr vexationes pati debere. Ubi videtis concionatorem opus aliquod auditoribus ſuadere.

Hac propoſitionis diviſione enunciata monendus orator eſt, ut propoſitio ſpeculativa in ſacris exedris vix locum habere debeat, è quibus ſalubria potiùs monita fidelibus tradenda ſunt, quàm acutæ explicandæ diſputationes, & dogmata, quæ in academiis, ubi de ingenio certatur, plurimi ha-

habentur. Propoſitio practica ubique libenter ab omnibus auditur; non autem ſemper commendanda eſt, niſi loco, tempori, & audientibus conveniat. Nam riſu digna haberetur propoſitio, quæ in ædibus piis proponeret honori potiùs, quàm divitiis acquirendis operam dandam eſſe, & quæ in religioſorum voto aſtrictorum conventu matrimonium rem ſanctam exponeret; pariter, quæ numeroſam egenorum catervam ad liberalitatem, ægrotos ad peregrinationis itinera, laboribus confectos ad jejunia hortaretur. Undè antequam orator concionis ſuæ cauſam proponat, eas res ſcrutari debet, ad quas impellendi ſunt auditores, ratione tantùm habita divinæ gloriæ, animarum ſalutis, virtutis exercendæ, & loci, ubi dicturus eſt.

De

De propoſitionum numero.

CAP. XVII.

QUanquam propoſitio ſuam, quæque orationem conſtituat ita, ut cauſa multiplex plures demonſtret conciones; maximorum tamen oratorum uſus, & conſuetudo obtinuit, ut in una, eademque oratione plures proponantur res comprobandæ. Quot autem propoſitiones quælibet admittere poſſit oratio, à Rhetoribus adhuc definitum non legi; ſed neque earum numerum ſtatuere mihi arrogo. Quid verò ſentiam, brevi exponam. Propoſitionem ſimplicem, & unicam in unaquaq; oratione maximè commendo; verum ſi orator plurimùm habeat materiæ, laudabo, ſi diviſam illam duplicem efficiat propoſitionem, vel etiam triplicem, hoc eſt in duas, vel tres diſtributam partes, ut omnes pal-

ſim

ſim utuntur oratores,& præcipuè Tullius. Si in quatuor diſtribuatur partes, & quadruplex fiat, nonnulli licet ipſam probent,mihi tamen vitium illa ſapere videtur, & multò magis, ſi quaternarium excedat numerũ, & hanc dico cauſam. Nam ſi ex propoſitione totius orationis verba, argumenta,& contextus pendet,neceſſe erit audientes tanta ad oratorem attentione incumbere, ſi benè omnes, & ſingulas partes memoriæ commendare, vel ſaltem percipere velint,ut vix id fieri poſſit. Quî igitur illud obtineri poterit ex tam multiplici propoſitione adeò diverſam haurire concionem abſque tædio.

Quomodo ſe gerere debeat orator in multiplici propoſitione.

CAP. XVIII.

QUiſquis duas præ manibus propoſitiones habet, duabus pariter rationibus illas explicare

care poteſt. Primum alteram ab altera ita ſeiunctam comprobabit, ut duplicem confirmationem cum unico tamen exordio, & epilogo conficiat. Si verò ſuam utrique perorationem dabit propoſitioni, damnandus non videbitur, dummodò breviter illas expediat. Non parùm difficultatis erit utra priori loco oſtendēda erit. Quantum ego ſapio, alterutram bene priorem oſtendi dicerem; nam ſi digniorem præferat orator, iuxta dignitatis ordinem procedet; ſi verò inferiorem ſuperiori in ſede ponat, tunc artis ſervabit methodum, quæ a minùs dignis plerumque incipiendum eſſe docet. Sit exemplum. Orator ad amorem erga proximum populos inflammare ſtuduerit, & ad amorem erga Deum, (quæ propoſitio duplex eſt) poterit priùs Dei amorem colendum eſſe oſtendere, & tunc digniorem reſpiceret. Similiter amorem erga proximum

 ge-

gerendum eſſe etiam priori loco demonſtrabit, & tunc artem ſequetur.

Illud maximè attendendum erit, quòd in tranſitu ad alterius propoſitionis probationem peragendo maximum adhibebitur ſtudium, & ars.

Secundò licebit etiam eas propoſitiones, vel, ut alii volunt, eas propoſitionis partes modò unam; modò alteram comprobare quodam contextu bene ordine digeſto, quod ut clariùs pateat, eodem exemplo oſtendam. Afferatur igitur eadem propoſitio. Si priùs Dei amor proponitur, dicatur argumentum aliquod ad illum probandum, & ſtatim aliud ſubiungatur ad amorem erga proximum ſuadendum. Iterum ad amorem erga Deum redibit, tum ad amorem erga proximum; atque ita ad perorationem uſque proſequatur confirmatio. Iſtam ſecundam rationem

nem ut arguere nolo, ſic aliquem ad eam hortari minimè audeo; nam orationem digeſtam quidem, ſed valdè confuſam agnoſco, id quod concioni maxime repugnat.

Quando verò duo, aut plures viri, qui vel ſanctitatis laude, vel alio virtutis genere excelluerunt, ſunt commendandi, ad hæc præcepta animum revocarem; quippe ſi poſſem, orationem unicuique diſtinctam variis diebus conficerem; ſi id minimè liceret, duas, vel plures propoſitiones in unica oratione eodem modo, ac ſuperiùs dictum eſt, exponerem. Omnium tamen optimum eſt, magnumque in ea re ingenj ſpecimen præberet orator, ſi una omnes propoſitione commendabit: hoc eſt, ſi una tantum virtute ab omnibus exercita pro cauſa uſus fuerit: ut si omnes apoſtolatus dignitate præfulſerint, martyrii palma fuerint decorati; voluntariis cruciatibus afflicti;

 vel

vel virginitatis ſplendore candidati. Sic die Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli martyrio conſecrata aliquis D. Ioannis Baptiſtæ laudes Florentiæ dicturus, una omnes tres ſanctos propoſitione commendare poterit; eos cœleſtes appellans concionatores. Et meritò; nam ad hoc eorum quiſque munus vocatus fuit: D. Ioannem ab utero vocavit Dominus, & de ventre matris eius nominis recordatus poſuit eum, ut ſagittam electam. De D. Petro ait Evangelii ſcriptor: Quod Dominus illi dixerit: Deinceps capiens homines eris. De D. Paulo inquit Dominus: Vas electionis eſt mihi, ut portet nomen meum coram regibus, & principibus, & filiis Iſrael. Inſuper omnes hi tres hoc munere ſtrenuè functi ſunt. Propter hoc denique perierunt, ut apud Evangelium, & Acta Apoſtolorum liquidò conſtat. Si vero

ro

rò ſinguli diverſa vivendi ratione usi ſunt, tunc præſtaret aliquam propositionem ab illius feſti evangelio depromere, quæ ad mores ſpectet, eamque pro concione proponere ad ſanctorum illorum imitationem, vel methodum ſuperiùs traditam ſervare, hoc eſt diverſas enunciare propositiones.

De modo propoſitionis innovandæ.
Cap. XIX.

NIhil in tota cauſæ dictione magis perſpicuum eſſe debet, quàm illud, quod proponitur; nam cum cæteræ orationis partes ex eo pendeant, si bene propositionem perceperit auditor, omnia probè intelliget; sin minùs, neque reliqua rectè cognoſcet. Unde oratores veteres, præſertim Tullius in proponendis causis nihil novi ponebat, ſed propositionem ipſam abſque verborum fuco ita clarè, & ut in ſe

erat, iterum, iterumque dicebat, (quod ex eius orationibus patet) ut non ſolùm audientes illam optimè intelligerent, ſed etiam faciliùs memoriæ commendarent. Quapropter magno iudicio uti debet orator in novitate propoſitioni danda, ne novum quid proponens obſcurſus evadat. Quoniam verò ætatis vitium illud quoque intulit damni, ut meliùs, ac libentius audiantur veritates, ſi per acutam doceantur propoſitionem, oratori ideo valde elaborandum erit, ut antequam orationem contexere incipiat, de novitate priùs cogitet propoſitionis.

Propoſitionem innovare eſt rem vulgarem novo modo, vel verbis acutioribus concinnatitiam proponere, ut auditorum attentio magis concilietur, eiuſque faciliùs illi meminerint: ut ſi oſtendere cupio illud evangelii dictum: *Beati, qui perſecutionem*

patiuntur; iſta propoſitio vulgaris apparet; ergo ut libentius audiatur, eam ſic innovabo: *Felicitatis genus eſt infelicem ab hominibus vexari.*

Modi, quibus novæ redduntur propoſitiones, plures ſunt præcipuè viris ingenio præditis; per contraria tamen, & per repugnantia argutè innovantur, ut apud Aloyſium Iuglaris apparet; ille etenim præclara D. Baſſi geſta commendare desiderans ità innovatam propoſitionem à contrariis enunciavit: *De D. Baſſi ſublimitatibus dicturus ſum*: Quod Italo idiomate meliùs ſonat, & argutiùs: *Vi voglio dimoſtrare le ſublimità di S. Baſſo*; ubi ſatis dilucidè contraria monſtrantur: Repugnantia benè oſtenduntur in cauſa orationis de D. Joanne Baptiſta habitę a Paulo Segneri; in qua maximæ illius ſanctitatis argumentum eſſe probat nullum patraſſe miraculum, quod ſancti-

tati ſummopere repugnare videtur. Ut autem quædam id faciendi methodus Rhetoricæ candidatis tradatur, sic doceo.

Uulgaris, ſeu communis priùs ſumatur propoſitio; cuius aliqua contrariorum ſpecies benè perpendatur, tum alterum excogitetur contrarium. Sit exemplum. Cineralium die concio à pleriſq; haberi ſolet de morte, aut de humanarum rerum imbecillitate. Si dicendum de morte eſt, & practicam ſtatuere propoſitionem mens erit; inveniatur unum ex contrariis mortis, quod eſt vita adeo, ut mors, & vita contrariè inter ſe diſcrepent; tum hæc innovari poterit propoſitio: *Ex mortis cogitatione vita*; vel *Mortis memoria ad benè vivendum multum confert*; vel *ex malæ mortis cogitatione bona naſcitur vita*. Si verò de terrenis rebus brevi deperituris dicendum ſit, cauſa a cineribus deſumpta, conſtituatur contra-

trarium rerum huius ſeculi brevitatis, quod eſt permanens, & ſtabile; atque ita efformari poterit alia propoſitio: *Quicunque in ſepulcralis cineris imbecillitate cogitationem defigat, magnum, & validum ſalutis ſuæ fundamentum conſtruet.*

De vitiis in propoſitione vitandis.
CAP. XX.

Ex iis, quæ anteactis capitibus relata ſunt, propoſitionis virtutes facili negotio comprehendi poſſunt. Nunc verò quicquam de eiuſdem vitiis dicendum eſt.

Primò cavendum eſt, ne propoſitio, ut dixi multiplex ſit. Secundò ne ſit obſcura, tertiò ne per comparationem fiat, præſertim inter viros virtutibus excellentes; odioſa enim inter huiuſmodi heroes ſemper exiſtit comparatio. Multò deteriùs eſſet, ſi cælites inferioris ordinis ſuperio-

ribus æquarentur, ut oſtendere D. Franciſcum alterum Petrum Apoſtolorum facilè Principem. Quæ propoſitio præterquamquod ridicula, & abſurda appareret, odium etiam pro benevolentia conciliaret. Non tamen arguendus eſt, qui in confirmatione id faciat, ubi aliqua tantùm actio ad comparationem adducitur, ubi Diuus inferioris dignitatis alii maiori anteferri poteſt. Ut maiorē oſtendiſſe fidem D. Raymundus videtur, & D. Franciſcus Paulanus in itinere multo longiori ſupra undas habito, quàm Sanctus Petrus, qui aliquando hæſitavit. Monitum igitur hoc de comparatione fugienda ad propoſitionem tantùm attinet; in qua tota unius hominis vita nunquam cum alterius geſtis proponenda eſt comparata.

Quartò vitanda eſt propoſitio allegorica, quæ ab aliis metaphorica dicitur, quæ cum impropriis con-

conſtet verbis obſcura non eſſe nequit. De hac clariùs quid ego ſentiam, nunc cum diviſione explicabo; cum diverſæ hac de re opiniones exiſtant.

Propoſitio metaphorica duplici modo adhibetur. Primò per unum, aut alterum verbum minùs proprium effertur, quo magis non ſolùm illa innovetur, ſed etiam quo acrior eius vis appareat, ut in exemplo ſuperiùs allato de D. Ioanne Baptiſta, de quo orationis propoſitio erat: *La ſterilità de' miracoli argumento di gran Santità*. Hæc videtur propoſitio metaphorica, quia verbum, *ſterilità*, a matribus, quibus propriè convenit in filiis procreandis, ad prodigia peragenda transfertur. Quæ metaphora tum innóvatam, tum etiam admirandam propoſitionem efficit, atque ex Evangelio deſumpta eſt, ubi videtur *Ioannes nullùm quidem feciſſe ſignum*. Eadem ratione quis

demonſtrare ſtudens quantùm ad miſericordiam ob peccatorum fletum moveatur Deus, ita aſtruat: *I fulmini della divina giuſtizia facilmente ſi ſpengono nelle lagrime de' peccatori contriti*: vel quod idem eſt: *Quanto ſieno efficaci le lagrime de' peccatori contriti per ſpegnere i fulmini della divina vendetta*. Has ego propoſitiones pro mea virili parte nunquam refutandas exiſtimo, verùm omnium maximè commendandas; atque iſtæ verè metaphoricæ propoſitiones dicuntur, in quibus pauca translata verba ponuntur.

Secundò appellatur etiam à quibuſdam propoſitio metaphorica, quæ auditoribus aliquid ſub terminis omnibus translatis proponit, ſed allegorica potius dicenda eſt: ut ſi quis D. Paulum Apoſtolum commendet, illum apud concionem ſic proponat: *Oſtendam vobis Lupum contra gregis latrones ululantem*. Quæ pro-

po-

poſitio, quia ex repugnantibus conſtat, nonnullis forſan arridebit. Ita de D. Ioanne Evangelii ſcriptore alius dicet, quòd ſit *Aquila ad excelſa volans*: Sic nonnullus Deum peccatores quærentem exponet *Ferociorum belluarum venatorem*. Hæ propoſitiones quoniam apud quoſdam noſtræ ætatis oratores locum in concionibus ſibi vindicarunt, eas damnare minimè audeo; ego verò nullam unquam propoſitionem ita per allegoriam innovarem, potiùs eam ſic explicarem: Si de D. Ioſephi laudibus dicturo propoſitionem hanc proponere mihi mens eſſet; *Palmam vobis, auditores, propono ponderibus oppreſſam lætiorem creſcere*; primùm illud ponerem dictum -- *Iuſtus, ut palma florebit* --, tum in exordio Palmæ qualitatem explicarem, quæ pondere onuſta magis viget; deinde ad propoſitionem accedens allegoricam cauſam ſic diſſol-

ſolverem : *La Santità di Giuſeppe creſciuta, à fiorita ſotto il peſo de' travagli*. Aut illud; sicut *Lilium inter ſpinas*: *L'Innocenza di Giuſeppe creſciuta, à fiorita tra le ſpine de' travagli*.

Rationes autem, quæ huiuſmodi allegoricas propoſitiones à meo repellerent ore, ſunt hæ:

Prima, quia apud veteres, eoſq; graviores auctores, vel etiam apud Tullium, & apud ſanctos patres eas nunquam legi, ſed neque huius ſeculi concionatores maioris exiſtimationis, & auctoritatis illis unquam uſi ſunt, quod præcipuè notávi in P. Pauli Segneri, & aliorum orationibus.

Secunda cauſa eſt, quia eiuſmodi propoſitiones quanquam in exordio explicantur, non niſi ſubobſcuræ eſſe queunt, quod vitium eſt; quæ enim per allegoriam dicuntur, liquido patere non poſſunt.

Tertia ratio eſt, quòd in maximas cogitur anguſtias liberior

ora-

oratoris facundia; nam eas res probare omnino tenetur in tota oratione, quas proponit, aut eloquentiæ nomen reſignandum eſt.

Quartò auditoribus maximè moleſta continget oratio, quæ ſemper de Palma, de Sole, & de aliis rebus allegoriam præferentibus loquitur. Denique quis decorum putabit laudes de viris maximis ab inanimis rebus emendicare?

Quòd si in confirmatione similitudines nunquam ſatis commendantur ad aliquid dilucidè exponendum, & probandum; illud tamē diſcriminis intercedit, quòd aliud eſt actionem a simili demonſtrare, quod pulcrum eſt, aliud verò totius herois vitæ geſta ab aliena re, & quidem inanima miſerrimè oſtentare.

De propoſitionibus cuiuſcunque generis. CAP. XXI.

QUæ hactenus de propoſitionis innovatione tradita ſunt præcepta, licèt ad genus deliberatiuum, & Iudiciale ſpectare poſſint, pro demonſtrativo tamen ut plurimùm adhiberi ſolent; in eo quippe plùs delectare debet orator, quæ delectatio maximè acquiritur propoſitionibus innovandis. In genere deliberativo propoſitio parùm metaphorica appareat, præſertim dum ad virtutes adipiſcendas, vitiaque fugienda auditores hortamur; apertè enim quicquid ſuadere volumus, proponendum eſt. Poterit tamen, ut ſupra diximus, innovari propoſitio, maximè cum cauſa odioſa apparet, vel invito auditur. In genere iudiciali propoſitionem metaphoricam nunquam inveni. Si tamen metaphora ita miſecatur, ut iudex be-

benè eam cognoſcat, non obſtabit, quin ita ornari valeat.

De propoſitione poſtpoſita.
CAP. XXII.

NOnnullis in orationculis apud poëtas, & hiſtoricos propoſitio confirmationem ſubſequitur. Quod tunc accidit, cum invidioſum, aut minùs gratum eſt, quod proponitur. Orator igitur moleſtam dicere propoſitionem cupiens, illam in principio silebit; priùs enim ſuaviter in auditorum animos ſeſe insinuabit, deinde orationis argumenta, & cauſam exponet, quibus enunciatis, quicquid voluerit, proponet. Hoc fit, quando aliquid vel petendum, vel ſuadendum eſt, quod vix, aut difficulter obtinere credimus. Huiuſmodi poſtpoſita propoſitio locum habet etiam in corrigendis illis hominum erroribus, a quibus ſeſe eripere egrè ipsi volunt.

De narratione, eiuſque definitione, & diviſione. CAP. XXIII.

NArratio eſt rei geſtæ, vel quaſi geſtæ expoſitio. Per hanc definitionem docentur oratores, quòd narratio, niſi veritate comprobetur, ab ea ſaltem non abhorreat neceſſe eſt, ſed vero ſimilis exiſtat; falſa enim narratio apud poëtas, qui fabulas fingunt, locum habet; non vero apud oratores, qui, quę fieri poſſunt, graviter enarrant. Quòd ſi ſemel concionator mendax repertus fuerit, ne veris quidem poſtea ab illo narrandis fides habebitur.

Narratio, quoad rem noſtram pertinet, duplex eſt, una, quæ velut integrum membrum orationis eſt; altera, quæ concionis parti coniungitur, veluti exordio, confirmationi, vel etiam epilogo.

De

De Narratione integra orationis parte. CAP. XXIV.

NArratio, quæ exordium ſequitur, eſt velut quoddam propoſitionis, eiuſque probationum ſeminarium; inde namque orator quicquid proponere vult, ſimul, & argumenta depromit. Idcirco illa ante propoſitionem ſedem ſæpius obtinet. Cauſa siquidem ex veris narratis proveniens æquior videtur, & vera Narratio iſta in iudiciis, quandoque etiam in laudibus adhibetur; quoniam in virorum factis celebrandis rationem ex illa ad probationem deſumere ſolemus: ut patet ex multorum orationibus. quod hac ratione fit. Narratur aliqua res geſta, ex qua narratione eæ poſteà probationes accipiuntur amplificandæ, quæ ad noſtram cauſam maximè faciunt, ideoque in hac narratione omnia ſnnt recidenda, quę præter rem exiſtunt.

De altera narratione.

CAP. XXV.

QUæ aliis orationis partibus coniuncta reperitur narratio, eodem omninò modo effertur, ac præterita; ſed breviùs; nam illa integrum concionis eſt membrum, hæc vero parua membri pars; quapropter hac utimur, quando hiſtoriam aliquam tum ſacram, tum profanam narramus, cum aliquod hominis geſtum, vel ſanctorum exempla ad rem demonſtrandam enunciamus, qua in narratione ea omnia delenda ſunt, quæ nihil ad argumentum faciunt. Multum roboris habet ad cauſam probandam, & ad animos movendos narratio iſta, si illis, quæ nunc dicentur, virtutibus illuſtretur.

De Narrationis virtutibus.

CAP. XXVI.

QUæ narrantur, ea breviter, dilucidè, diſtinctè, appoſitè ad rem, & ſuo denique tempore dicantur. Brevis erit narratio, ſi, quod ſupervacaneum fuerit, reſcindetur: brevior tamen eſſe debet narratio, quæ vel in exordio ad introductionem propoſitionis, vel in confirmatione ad illam probandam, vel in peroratione ad animorum motus excitandos includatur, quàm quæ totius orationis pars eſt, quoniam hæc res omnes ob oculos ponat neceſſe eſt, ex quibus confirmationis argumenta eruuntur, atque orationis totius fundamentum eſt. Verùm iſta in iudiciali genere locum potiſſimùm obtinet, ubi factum, ex quo iudicium pendet, explanandum eſt. Licet etiam in exornativo genere illam adhibere; nam

prius

priùs quàm aliquid de Heroë proponatur, poſſunt breviter omnia eius vitæ geſta explicari, ex quibus propoſitio accipiatur, quæ narratio loco principii, vel exordii eſſe poteſt. Sed hoc rariſſimè faciendum eſt: Altera verò narratio non ſolùm ſuperfluum reſpuit, ſed neceſſarium tantùm admittit, idque quambreviſſimè. Si in exordio collocatur, tanquam introductio ad propoſitionem totum non impleat. Si verò in confirmatione fiat narratio, monſtro res ſimilis erit, dum narratio, qua pro argumento utimur, ad multam confirmationem protrahatur. Quapropter iuvenum deſiderium coërcendum cenſeo, qui quoniam aliquid pulcrius narrandum habent, illud in omnibus orationibus dicendum putant Horatiani pictoris inſtar, qui cum cupreſſum coloribus benè exprimeret, illam omnibus in tabulis ridiculè, & ineptè effingere vo-
le-

lebat. Diſcriminis autem inter utramque narrationem cauſa eſt, quòd narratio orationis precipua pars longior permittitur, quia multa complectitur geſta; narratio verò, quæ in aliqua concionis parte includitur, multò brevior eſſe debet, quia unam tantum actionem continet, ut ſunt exempla, & aliqua hiſtoria, qua noſtram ſententiam aut demonſtramus, aut ornamus.

Si brevitas in narratione requiritur, ut ea, quæ auribus percipiuntur, memoriæ faciliùs commendentur, perſpicuitas etiam expoſcitur, ut quicquid narratur, apertè cognoſcatur. Id ut obtineatur, præcipitur, ut Narratio non ſolùm obſcuris verborum ambagibus, & metaphoris careat, verùm ſimplicibus conſtet verbis. Non tamen ſententiæ, & clariores figure ab ea removendæ ſunt; alioquin inornata eſſet, & indocta. Nimia preterea rerum di-

ver-

verſarum, ac perſonarum multitudo inducenda non eſt, quę confusionẽ pariat. Inſuper frequentiores parentheſes, & multò magis longiores, ſimul digreſſiones omnes ab ea amoveantur, quæ auditores vel à narrãdis avertunt, vel minùs intelligentes reddunt.

Diſtinctio quoque neceſſaria videtur, ex qua perſpicuitas oritur, cum enim facta ordine, ac decore ſervato (in quo consiſtit diſtinctio) digerantur, ab omnibus optimè percipiuntur. Hæc potiſſimum in hominum geſtis demonſtrandis ſpectanda eſt; multùm enim intereſt, utrum Principis, an ruſtici; patricii, an alicuius infimæ plebis; viri, an mulieris verba, aut acta exponantur. Tunc equidem ſuus cuique decor tribuendus eſt. Omnium etiam mores diſtinctè ſervandi ſunt; aliter enim Deus miſericordia utens deſcribendus eſt in narratione, ac iracundia

mo-

motus, aliter exultantes, ac mę-rentes animi oſtendendi ſunt; aliter qui cruciatibus ſubiiciuntur, ac qui pręmia excipiunt; & ſic in cęteris.

Apta debet eſſe narratio rebus, de quibus loquimur, loco pariter, tempori, & audientibus accomodata. Rebus primùm conveniat narratio neceſſe eſt; non enim læta narranda ſunt, ſi de inferorum pœnis, de iudicio, de morte, & ſimilibus ſit concio. Atque è contra ab orationibus, quæ ad ſpem, & lætitiam inducunt, removendæ omnino ſunt triſtes narrationes. In locis, ubi à Principibus, & Dynaſtis recta ſervatur iuſtitia, ab iniuſtorum eventibus abſtinendum eſt, ne eos criminibus arguere videamur. Immò hujuſmodi narrationes nullibi agendas arbitrarer, maximè earum rerum, quæ ibimet injuſtè, vel infauſtè acciderunt ad Chriſti Domini exemplum, qui inter

 fra-

fratres cauſam contra ſemetipſos ad invicem agentes arbiter eſſe renuit, quique in mulierem viro ſuo infidelem ne unum quidem verbum fecit, qui denique interrogatus, an Cæſari cenſum dari liceret, ipſe, qui ad viam pacis, & ſalutis dirigendam venerat, non ad principes, & potentes turbandos, Cæſari, quæ Cæſaris eſſent, reddenda breviter reſpondit. Eadem ratione utendum nobis erit in locis, ubi religioſa inſtituitur vita; inibi namque damnatorum exempla, quæ terrorem incutere ſolent, adducenda non ſunt.

Tempus etiam ſpectare debemus, nam adverſis tempeſtatibus deſperatorum caſus exponendi non ſunt, ſed illi potius, qui animos ad ſpem erigunt, ſic ex adverſo. Auditoribus denique maximè ratio habenda eſt, qui ſi terroribus magis moventur, horribilia ſunt narranda; ſi ſecus,

cus, læta, & ſuavia. Quapropter oratores omnes monitos volo, ut antequam ſacras aſcendant exedras, doceri curent de populorum ingenio, moribus, propenſione, animis, & ſimilibus.

Suo quæque tempore res narrentur. In hoc magna cautio habenda eſt, ne hiſtoriæ ordo, ac ipſius ſeries pervertatur. Verùm quæ anteceſſerunt priori loco narrentur; quæ verò fuerint ſubſecuta, ſecundo loco dicantur. Plurimum ſi quidem valet ad perſpicuitatem rei per ſua tempora digeſta narratio; alioquin ignorantiæ, aut memoriæ tenuitatis arguetur orator.

Optima tandem erit narratio, ſi inopinatos habeat exitus, & admirabiles, & ſi rem ita exponat, ut non audiri, ſed oculis potiùs cerni videatur; quod fit per Hypotypoſim, ethopæiam, & alias figuras in ſequenti libro declarandas.

De Confirmatione. CAP. XXVII.

Confirmatio omnium orationis partium maximè neceſſaria eſt; quid enim exordium, niſi illud ea ſequatur? Quid propoſitio, niſi ab iſtà confirmetur? Quid peroratio, niſi præceſſerint argumenta? Confirmatio igitur argumenta continet, & rationes, quibus quicquid propoſitum eſt, comprobatur. Quare argumenta nunc explicanda priùs nobis ſunt, deindè quo ordine collocanda.

Argumentum eſt probabile inventum ad fidem faciendam. Argumentorum ſedes ſunt loci in priore libro explicati; unde ſuperfluum eſt eos repetere. Argumentorum forma non religioſè ab oratoribus conſtruenda eſt, ut a logicis, ſed arte, & amplificatione eſt dilatanda, ut capite 19. prioris libri dictum eſt.

Boni tamen Rhetoris eſt priùs argumentationes mente effingere, tum earum propoſitiones amplificare, quę ad rem magis conducunt, ſicuti in eodem capite præcepta tradita ſunt.

De argumentorum ordine.
CAP. XXVIII.

Argumenta, quæ orator ad propoſitionis firmamentum excogitaverit, veluti telorum caterva humi fruſtrà jacentium exiſtent, niſi ordine quodam diſponantur. Quapropter tres hùc ordines adducam Rhetorum auctoritate, & dicendi uſu comprobatos; reliquis, qui minùs placent, omiſſis.

Primus ordo eſt, quòd argumenta firma in priori loco, firmiora in ſecundo, in tertio firmiſſima ponantur. Atque ita creſcet ſemper oratio, & ſic maius confirmationi addetur robur, ut

& propoſitio magis confirmata, fuerit, & promptior, atque ardentior motuum vis auditorum animos deinde in peroratione, accenderit.

Secundus ordo eſt, quòd firmiora priùs collocentur, deinde firma, poſtremo firmiſſima; nam cum minor concionis attentio ſit in media confirmatione, quàm, ea ineunte, vel deſinente, idcirco minùs fortia argumenta in medium coniiciantur.

Tertius ordo eſt, ut eas antea dicamus rationes, ex quibus aliæ pendere videntur.

His ordinibus tribus explicatis pro libito quiſque uti poteſt. Concionantem ego quemdam audivi, qui verbis, & uſu docebat, quòd rationes à rebus naturalibus deſumptæ primum poſt propoſitionem locum obtinerent, alterum verò, quæ ex humanis actibus hauriebantur, extremum autem res, ſivè hiſtoriæ ſacrę.

Ego

Ego tamen in argumentis probabilitatem potiùs, quàm dignitatem reſpicerem, non enim argumenta in excellentia, ſed in vi nituntur. Quamvis autem rationes ſacræ plurimi ceterarum habendæ ſint, argumenta tamen alia humana ingenia, & rationes magis commovere poſſunt. Illud ab omnibus probandum eſt, quod argumenta omnia auctoritate ſacrarum litterarum, ac ſanctorum Patrum, quoad fieri poteſt firmentur, ut in capite tertio libri primi annui.

De quibuſdam argumentorum animadverſionibus.
CAP. XXIX.

NOnnulli inter argumenta putant leviora, ideſt ridicula, vel in principio dicenda eſſe, ut inde ad fortia tranſeamus, vel in medium conijcienda eſſe, cum auditor defeſſus ad illa incum-

bere nequit. Bona cum venia illud cavendum eſſe omninò arbitror, ut ne unum quidem in tota concione leve ſit; adeo, ut nihil dicat orator, quod gravitatem non præſeferat. Non in principio confirmationis levia ponenda ſunt; alioquin propoſitio ab audientibus magna cum attentione, & expectatione percepta ab eorum ſinu caderet, ſi huiuſmodi argumẽtis demonſtraretur iuxta illud.

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Neque in medio locus illis cedendus eſt; tunc enim non ſolum propoſitio, ſed argumenta iam allata ex hominum opinione corruerent. Si verò audientium cœtum attentione defatigatum eſſe arbitramur, tunc hiſtoria aliqua, vel inopinato eventu ad rem narrando ad reliquam dictionem eius animus revocandus eſt. Neque tantùm argumentorum iam

dicto-

dictorum iacturam faciet orator, ſed quicquid ſubinde dicat etiam graviſſimum, leve itidem habebitur, & futile, atque adeo totus concionis fructus deperdetur.
Si verò multa infirma collegeris argumenta, hoc eſt, quę parùm roboris habeant, ea poſt primam, aut alteram probationem explicanda ſunt per pręteritionem, vel per conceſſionem, vel per permiſſionem hiſce formulis: *hic non dico &c. dicendum præterea eſſet &c. tempus mihi non permittit habere, vel afferre &c.* & denique firmius poſt illa afferendum eſſet argumentum ſic: *illud tamen ſilere non poſſum &c.* Poterunt & alię eſſe formulę, ut ſequentes: *Dicent alii &c. illi vobis referent &c. unum tantum ego dico &c.* Non tamen omnia, quæ inveneris, tibi dicenda ſunt, ſed ex multarum eruditionum copia potiores eligi debent. Si vero cauſa laboret, etiam debilia ad-
 duci

duci poſsunt argumenta, levia verò nunquam.

Ne inſulsa videatur oratio, caveat orator, ne argumenta eodem modo tractet, ſed per varias figuras, quæ magis delectent. Per hoc enim oratorius ſermo à ſpiritalibus, & reliquis familiaribus orationibus diſtinguitur.

Prçterea ſicuti in argumentis nimia verborum luxuries fugienda eſt, (quæ tamen iuvenes minimè dedecet) ita inopia, ac ruditate orator non vileſcat.

Quamvis proprius affectuum locus ſit peroratio, valdè tamen probandum erit, ſi in cuiuſque argumenti calce ad aliquem motum auditores excitentur, ſed breviſſimè, ac veluti quidam aculeus, tanquam canis è Nilo, eorum animis infigatur: nam cum orator populum probatione convicerit, efficacior videtur oratio, ſi ad argumenta aliquis animorum motus ſtatim acceſſerit.

Deni-

Denique in argumentorum diſpoſitione illud in primis præcipitur, quod ea ſic colligentur, ut aliud ex alio pendere videatur; quapropter nunc de tranſitione dicam.

De Tranſitione. CAP. XXX.

TRanſitio eſt duarum orationis partium inter ſe connexio, & licet omnibus concionis membris conveniat, hic nihilominus explicatur, quia inter argumenta ſæpius eam adhibere uſuvenit.

Tranſitio duplex eſt, perfecta, & imperfecta. Imperfecta eſt, cum abſoluta aliqua concionis parte, vel argumento explicato ad aliud ſine arte devenitur: ut ſi concionator demonſtravit Deum diligendum eſſe, quia nos ex nihilo condidit, ſtatim ad aliud argumentum abſolutè procedit ita: *Deum quoque diligere*

debemus, quia pretioſo nos ſanguine redemit. Hanc vulgarem etiam appellarem, quia omnibus qui loquuntur, vulgaris eſt, & ſine arte tractatur. Neque eſt vera tranſitio, quia non eſt duarum partium connexio; nam ad hoc ut connectat, utramque debet attingere, veluti gluten duo ligna coniungit. Perfecta igitur veræ tranſitionis nomine gaudet, eaque facienda eſt, quæ ab arte excogitata à communi dicendi ratione diſtat. Ea quod dictum eſt, & dicendum ſupereſt, paucis comprehendit. Multi ſunt modi, quibus invenitur, ſed præcipuè ex locis communibus, & figuris, quorum pauca ſubiiciam exempla. Si demonſtravi *Deum ab homine diligendum eſſe, quia illum inter animantia condidit, multo magis quia rationis compotem fecit, & ſupra reliqua poſuit animalia*. Tranſitio hæc a definitione hominis eſt deſumpta. A' contrariis

riis deſumi etiam poteſt: ut ſi oſtendere velim, peccatores à Deo pęnis afficiendos eſse ab uno ad alterum argumentum hunc tranſitum faciam: *Deus, qui ſe non amant, in eos animadvertet, in illos etiam animadvertet, qui ipſum lædunt*. A locis communibus meliùs accipitur per comparationẽ; tunc etenim creſcit oratio. Sit exemplum. Demonſtrare mens eſt, quot præmiis ditabit Dominus in cœleſti Patria beatos, ſic argumenta coniungam: *Si tantis in hac terra muneribus inimicos ſuos affecit Dominus, quò magis amicos in cœlis*? ubi elucent etiam contraria.

Ex figuris pariter hauriuntur tranſitiones, & præſertim à ſubiectione, videlicet, cum auditores interrogamus, & nos ipſi reſpondemus: ut, *Quid ad hoc, de quo dixi, reſpondetis? hoc parum eſſe ſi conſideremus &c.* ſimiliter ab occupatione, cum id, quod

obiici

obiici poteſt, occupamus: ut *His, quæ docui obiicietis &c. ſed ego insuper addo &c.* Præterea à conceſsione: ut *omnia, quæ dixi, vobis facilè concedam, non autem, quod nunc dicturus ſum.*

A' ſuſtentatione quoque, dum auditores diù ſuſpendimus: ut *Quid putatis de hac re? forſan &c. forſan quod &c. an quòd &c. Illud credite, quòd non ſolum à me dictum eſt, ſed quod nunc dicam. &c.*

Materia denique ipſa oratoribus ingenio præditis tranſitiones per ſe ſuppeditabit, quæ omnium optimæ erunt, ſi ex ultimis verbis iam prolatis cauſam ad aliud argumentum deſumemus. Præſtantiſſima verò erit tranſitio, ſi qua ſententia ultimam clauſerit partem, & alteram aperiet. Videndum tamen eſt, ne, dum nimium acuti eſse volumus, pueriles evadamus. Quapropter ab una ad aliam rem graviter nos tranſire debere cenſeo, quam

gra-

gravitatem maximè confert alicuius ex ſanctis Patribus, aut doctis viris auctoritas.

De Oratione Panegyrica. CAP. XXXI.

HÆc, quæ de confirmatione tradita ſunt præcepta, omnibus quidem dicendi generibus bene conveniunt, ſed quod ad Panegyricon ſpectat, nonnulla alia dicenda ſuperſunt.

Panegyrica oratio tribus rationibus confici poteſt. Prima, quæ omniũ maximè vulgaris eſt, cum ea geſta narrantur, quę a viro laudando facta ſunt, eodem ac illius vitæ ordine ſervato. Hoc accidit, ſi confirmationis initium à Patria, ſeu maioribus deſumamus; tum oràcula, & ſigna, ſi qua illius ortum, vel futuram pręnunciaverint claritatem, dicentur. Præterea nativitatem, pueritiam, virilem ætatem, ſenectutem,

tem , mortem denique ipſam , eiuſdemque mortis effectum , ut civium dolorem , reipublicæ iacturam, monumenta relicta , prodigia , & alia explicare poterimus , quæ laudem hominibus afferunt . Si verò immatura præreptus fuerit morte , per vaticinium ea , quæ agere potuiſſet , ſi ad multam perveniſſet ætatem , declarabimus argumentum ex ante actis deducentes .

Si hæc omnia ſimpliciter exponantur , narratio potiùs hiſtorica erit , quàm oratoria . Quapropter omnia cum amplificatione narranda ſunt , & ſententiis , figuris , aliiſque artis ornamentis illuſtranda .

Secundus orationis panegyricæ texendæ modus eſt , cum una tantùm viri actio celebratur, quæ ex locis in primo libro explanatis ita dilatatur , & ornatur , ut tota compleatur oratio . Poſſunt etiam per Præteritionem , vel

aliam

aliam figuram nonnullę actiones, quæ ad illam non ſpectant, adduci, at cavendum eſt, ne inordinata rerum congeries ſit. Unde huiuſmodi laudis genus oratorem magni ingenii, iudicii, ac eloquentiæ non ieiunum decet. Illud autem fit cum quoddam præclarum facinus inter cetera Herois commendandi geſta magis elucet, & cum per octo dies de aliquo inter cœlites relato panegyris quotidie habetur, ut de D. Joanne Baptiſta Florentię ſingulis annis accidit. Prima die eius ortum prodigiis prænunciatum laudandum quis proponere poterit. Secunda Prodromi dignitatem. Tertia è paternis ædibus in deſerta loca ſeceſſionem. Quarta vitę generis aſperitatem, & voluntariam corporis afflictionem. Quinta concionatorium munus tanta populorum utilitate exercitum. Sexta generoſam maximorum honorum a Sacerdoti-

dotibus, & Levitis ultro oblatorum abdicationem. Septima ſalutarem, & liberam Herodis monitionem. Octava funeſtam tandem ejus capitis amputationem, & nobiliſſimum ipſius martyrii genus.

Tertium reliquorum præſtantiſſimum Panegyricę orationis habendæ genus eſt, cum una, aut altera viri alicuius probati virtus illuſtranda ſuſcipitur, ad quam omnes ferè eiuſdem actiones referuntur, quod quidem ſicuti difficillimum eſt, ita maximam oratoris artem, & prudentiā expetit. Eapropter curandum omnino eſt, ne aliquod geſtum ad illam reducentes nimis extorquere videamur. Ut autem facilior ad hanc commendationis methodū via aperiatur, videndum prius eſt, qua virtute maximè excelluerit, qui celebrandus eſt, ut D. Dominicus, & D. Franciſcus Xavier ardentiori animarum ſa-

lutis

ſalutis zelo flagrabant. D. Carolus, D. Philippus Neri, & D. Franciſcus Saleſius ardentiori charitatis divinæ igne urebantur, & ſic de aliis. Deinde cum eam ſolam propoſuerimus virtutem, cetera illius acta ad hanc ſpectaſſe oſtendemus.

De iis, quæ in genere demonſtrativo confirmationis materiam oratori ſuppeditabunt.

CAP. XXXII.

IN hominibus laude decorandis ſola virtus attendenda eſt; quæ ad rem noſtram duplex dicitur; altera ſcilicet, quæ mores, altera verò, quæ intellectum reſpicit. Firmiora commendationis argumenta præbebunt virtutes, quæ ex recta animi affectione procedunt, & ex his ceterarum plurimi habendæ ſunt, quæ in proximorum utilitatem cedunt; ut charitas, liberalitas,

pietas, religio &c: hinc etenim veluti ex ſacratioribus adytis nobilior, ac potentior encomiorum educitur apparatus. Si quis virtutibus, quæ bonum faciunt habentem, caruerit, laude dignus non eſt; ideoque fruſtra eloquentiæ vis eſſunditur, & aſſentationis potiùs arguendus eſſet, & mendacii orator, quàm veritatis gloria, & pondere commendandus. Si verò temporum iniuria herois virtutes ignorentur, in earum locum aliæ ſuccedunt animi dotes, ut ſcientiæ, artes nobiliores, ac præſtantiores, & alia id genus. Si neque hiſtoria, neque fama, aut rumor earum quicquam ad nos uſque detulerit, ad fortunæ bona recurrendum eſt, quæ ſunt geneſeos ſplendor, & nobilitas, parentum decus, dignitates, & honores delati, divitiæ, & alia huius generis, quæ magnum addent præconium, ſi virum in his non ſuperbè ela-

tum,

tum, ſed animi moderatione ſe geſſiſſe demonſtraverimus. Ubi autem hæ non fuerint, oſtendendum erit tum in paupertate patientiam, in ægritudine tolerantiam, in adverſis conſtantiam habuiſſe. Poſſunt etiam bonæ corporis qualitates commendationis argumentum ſuggerere, ut valetudo, membrorum integritas, recta corporis conſtitutio, robur, agilitas &c. ſed magna cautione pronuncianda hęc erunt, ne ad viri encomium illa aſſumere videamur, quæ cum brutis communia natura nobis largita eſt, niſi ex his aliquid boni reſiliverit. In hiſce animi, fortunę, ac corporis bonis ordo aliquis ſervandus eſt, qui ab arte diſcitur.

De Confutatione. CAP. XXXIII.

Confutatio eſt oppoſiti aſſerti, vel argumenti improbatio, ſeu infirmatio; in ea ete-

etenim quicquid obiicitur, reiicimus. Duplex eſt confutatio; altera, quæ eſt totius orationis, altera; quæ eſt confirmationis pars. Illa aliquando ante ipſam confirmationem ponitur, interdum verò eam ſubſequitur. Ordo in obiectionibus repellendis quadruplex eſt; namque aut oppoſitionibus reſpondetur iuxta earum ſeriem ita, ut prima primis; & ultima extremis propellantur, aut è contra priùs abiiciantur ultima, & ſic poſtremò primis ſatis obiectionibus faciamus, vel ab infirmioribus principium deſumatur, vel ex adverſo à fortioribus incipiamus. Oratoris prudentia, & rei opportunitas quid magis conducat, indicabunt; quoniam ſi invalidiora priùs refelluntur, faciliùs magis ſtrenua reiiciuntur; ſi antea potentiora propelluntur, languidiora per ſe corruent. Sin autem modus aliquis in iis abiicien-

ciendis quæratur, dico, quod contraria dicta aut falſa eſſe, aut repugnantia, aut præter rem, aut fieri non poſſe aſſeramus. Argumenta, quibus vix, aut difficile reſponderi poteſt, tradunt Rhetores, quod contemptu expelluntur, aut perfunctoriè leviter ea attingentes præteribimus; hac etenim ratione nulla, vel levia eſſe oſtendemus. Confutatio, quæ per confirmationem diffunditur, eadem fere ratione adhibetur, ac ea, quæ pars integrans eſt.

De Peroratione. CAP. XXXIV.

PEroratio, quæ eſt orationis concluſio, conſtat enumeratione, & animorum motu. Enumeratio, quæ Græcè Anacephaleoſis dicitur, eſt brevis, & expedita argumentorum repetitio, quæ ſi arte careat, nihil ea odioſiùs audiri poteſt; & ſi orator auditorum animos argumentîs inflammare cœperat, per illam

rectam, ſimplicem, & frigidam repetitionem reſtinguitur quicquid ardoris concipi poterat; quare per varias, eaſque vehementiores figuras efferenda eſt, ut per invocationem, commiſerationem, apoſtrophem, &c.

In animorum motibus excitandis curandum eſt, ut propoſitioni cohæreant, ne aliud dixiſſe in confirmatione, aliud in peroratione facere videamur.

Iidem etiam affectus commoveri poſſunt, qui in ipſo oratoris animo ſuſcitantur; unde ſeipſum priùs moveat concionator, deinde faciliùs populum ad eoſdem animi motus excitabit iuxta illud:

——— *Si vis me flere, dolendum eſt primum ipſi tibi: tunc tua me infortunio lædent.*

Inſuper orator probitate commendandus appareat, & re vera ſit; qui enim ad virtutem hortatur ſine virtutis commendatione, inquit, D. Auguſtinus, hiſtrionem agit, non oratorem. LI-

LIBER III.

De Elocutionis præſtantia. *CAP. I.*

ORatori parum proderit materia labore parta, & ordine diſpoſita, niſi elocutione exornetur; frigeſcunt etenim argumenta, nec ordinis apparet venuſtas, niſi ardor, & pulcritudo illis ex verborum delectu, tropis, & figuris addantur. Quocircà quicquid probationis, & animorum motus ab argumentis ſuſcitatur, ſola elocutione perficitur, quæ ſi aptè, & congruè per orationem diffundatur, veluti quibuſdam aculeis, verbis, & figuris hominum men-

tes, atque animi ita appetuntur, ut facillimè credant, & moveantur. Unde Cicero eum appellat eloquentem, qui non ſolùm probat, ſed eo inſuper dicit ornatu, ut delectet, & flectat. Tantum denique huic uni Rhetoricæ parti tribuitur, ut eloquentia ipſa ab elocutione nomen ſortiri non erubeſcat.

De elocutionis definitione, & partibus. CAP. II.

ELocutio eſt verborum, ac ſententiarum ornatus in oratione diffuſus. Hinc fit, ut bona elocutio tribus partibus componatur, elegantia videlicet, quæ verba reſpicit, compoſitione, quę ad ſententias ſpectat, & dignitate, quæ tropis, ac figuris acquiritur. Elegans dicitur oratio, quæ verbis uſitatis, perſpicuis, & propriis conſtituitur; ex iis verò nitidiora, ſonantiora, gravio-

viora, & quæ efficaciorem vim continent ſignificandi, eligantur. Quare obſcœna, barbara, peregrina omnino vitanda ſunt. Illos etiam probare nequaquam valeo oratores, qui ex auctorum antiquorum codicibus verba jam multis annis deſita, quæ à nobis antiquata dicuntur, frequentia in orationibus ponunt; non tamen damnādi illi ſunt, qui unum ſemel, aut alterum in aliqua concione vetuſtum verbum dicunt; nam veteres quoque oratores, & poetæ Latini aliquando adhibent. Ut autem hæc arceantur, illa verò addiſcantur, aſſueſcant adoleſcentes probatiſſimos idiomatis illius auctores frequenter pervolvere, in quo eloqui volent.

Compoſitio periodos reſpicit, quæ variis membris, & inciſis, ſive articulis coagmentantur. Membra, quibus periodi cohærent, plura, vel pauciora eſſe poſſunt; quoniam aliæ unico

tantùm gaudent membro, & periodus illa unimembris dicitur; nonnullæ duo continent, quæ bimembres appellantur; aliquæ tribus vinciuntur colis, quæ dicuntur trimembres; quædam vero quatuor complentur, quæ quadrimembres nuncupantur. Si pluribus quatuor conficiatur membris periodus, perobſcura erit oratio, & nimis longiùs protrahetur ipſa periodus.

Periodi unimembris exempla ſunt apophthegmata, adagia, doctorum ſcita, & alia huiuſmodi dicta, quæ ſententiam integram paucis comprehendunt: ut, *Nunquam diù in eodem veſtigio ſtat fortuna*.

Bimembris periodi exemplum eſt apud Cic. in L. Calpurnium Piſonem: *Mihi iſta licet de me vera cum gloria prædicare; omnes enim honores populus Romanus mihi ipſi homini novo detulit*. Ut autem huiuſmodi periodos vos

ipſi

ipſi conficere addiſcatis, aliud exemplum præter Tullianum adducam, quod ad periodum bimembrem, trimembrem, & quadrimembrem reducetur; ſit igitur hoc, in quo unum membrum apparet: *Solis nitoribus comparatur divinæ gratiæ beneficium*; ecce periodus unimembris, quæ bimembris hoc modo efficitur: *Quemadmodum ſolis aſpectus nitidiſſimo radiorum ſplendore univerſa exhilarat; ſic divinæ gratiæ lumen turbatas hominum mentes voluptate perfundit.*

Trimembris periodus eſt apud Tullium pro lege Manilia: *Satis mihi multa verba feciſſe videor; quare hoc bellum eſſet genere ipſo neceſſarium, magnitudine periculoſum; reſtat, ut de imperatore eligendo, ac tantis rebus præficiendo dicendum eſſe videatur*: aliud exemplum: *Quemadmodum ſolis aſpectus nitidiſſimo radiorum ſplendore univerſa exhilarat; quoniam*

 quæ

quæ nocturnis tenebris elanguerant, reviviſcunt; ſic divinæ gratiæ lumen turbatas hominum mentes voluptate perfundit.

Quadrimembris exemplum eſt apud S. Leonem Papam in ſermone primo de Natalitiis Apoſtolorum Petri, & Pauli, qui ſermo in ſecundo eorundem officii nocturno legitur: *Veruntamen hodierna feſtivitas, præter illam reverentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, ſpeciali, & propria noſtræ urbis exultatione veneranda eſt, ut ubi præcipuorum Apoſtolorum glorificatus eſt exitus, ibi in die martyrii eorum ſit lætitiæ Principatus.* Aliud exemplar: *Quemadmodum ſolis aſpectus nitidiſſimo radiorum ſplendore univerſa exhilarat; quoniam quæ nocturnis elanguerant tenebris, reviviſcunt; ſic divinæ gratiæ lumen turbatas hominum mentes voluptate perfundit, dum illas tartareis occupatas umbris ad cœleſtem lucem facilè perducit.*

Hæc

Hæc ultima periodus omnium optima oratoris propria eſt. Periodus verò unimembris in elogiis locum habet pręcipuum. Verùm ſicuti ad hominem perfecti corporis habitus conſtituendum varia membra non per eandem extenſa menſuram requiruntur; ita perfecta oratio quadrimembribus periodis tota explenda non eſt: at aliquando unimembres, nonnunquam bimembres, aut trimembres periodi promiſcuè interponuntur. Aliqui adeo maximam adhibent curam, ut membra in periodo ſyllabarum numero paria ſint, quæ diligentia ſæpe ſæpius putida, ac ſtrigoſa videtur. Si verò periodis quadratis rotunda addatur, concinna, gravis, & nobilis fiet oratio.

Rotunda periodus pluribus, vel unico conſtat membro, quod ſerpentis adinſtar ſinuoſum mirè in ſe vertitur; atque componi-

tur verborum venuſtate, numeri paritate, articulorum, ac ſyllabarum quantitate non diſſimili. Illud tamen moneo, quòd periodorum omnium armoniæ auris, ſi bonis auctoribus audiendis, vel pervolvendis aſſueſcat, iudex eſſe poterit. Cavendum eſt, ne membris periodum conſtituentibus neceſſariæ particulæ, vel coniunctiones deſiderentur, alioquin diſſoluta erit oratio.

Hinc præcipuum dicendi genus eligendum eſt, quod oratori conveniat. Ut autem periodos cum dicendi genere coniungamus, methodus aliqua ſervari debet; periodus enim tam oratoribus, quàm poëtis, hiſtoricis, didaſcalis, & collocutoribus communis eſt, non autem dicendi genus commune eſſe debet. Quapropter triplex dicendi genus tradam, quod vulgo appellatur ſtylus.

Primum familiare eſt, ac humi-

mile, quod in epiſtolis, & colloquiis adhibendum eſt. Alterum mediocre, quo utuntur hiſtorici, & didaſcali, illi ſcilicet, qui rei alicuius præcepta dicunt, ut qui concilia, cathechiſmos, & alia id generis ſcribunt. Tertium ſublime, ac magnificum, quo ornantur orationes. Verùm ſicuti de periodis dictum eſt, quòd non ſemper quadrimembres ponuntur, ita de hoc dicendi genere loquendum nobis erit, quòd non ſemper magnificum eſſe debet: aliquando etenim mediocri ſtylo iuvat dicere, præſertim in narrationibus, & exemplis exponendis; humili verò nunquam. In illorum ſententiam deſcendere non poſſum, qui Laconico ſtylo in orationibus cōficiendis gaudent, qui elogiorum eſt; diſtinguendum enim eſt ab oratorio ſermone elogium, nam ſi oratio auribus percipienda eſt, vix intelligetur. Neque ſemper Aſia-

tica amplitudine dicere præſtat, quin aliquid Laconico ſtylo eloquamur, ſicuti quando ſententias, adagia, & huiuſmodi dicta afferimus.

Nunc verò de tertia Elocutionis parte dicendum ſupereſt, hoc eſt de dignitate, quæ quoniam multa, eaque varia præcepta continet, ideo per diverſa capita ferè ad libri calcem uſque diſtribuemus.

De Tropis. CAP. III.

DE Tropis dicturus, & figuris, quæ quandam orationi dignitatem conferunt, primùm omnium illud mihi propoſui, pauca me in illis explicandis verba facturum eſſe, ne longum per præcepta hoc ſit iter, quod breve promiſi. Diutiùs autem in eiſdem ad praxim reducendis immorabor, quoniam per exempla breve ſemper extitit iter.

Di-

Dignitas igitur Elocutionis in tropis, & ſiguris conſtituitur. Tropus eſt dictionis, vel ſententiæ à propria in alienam ſignificationem cum virtute deflexio; ut cum dicimus *Radices montium*, *agri ſitiunt*, *iracundia ardere*; ubi radicis ſignificatio à plantis ad montes transfertur; ita ſitire, quod animantibus convenit, terræ tribuimus; ſic ardere, quod ignis proprium eſt, iracundiæ damus. Tropis vel propter neceſſitatem, vel propter elegantiam, vel propter maiorem ſignificandi vim utimur. Montium radices neceſſitate dicimus, nullum enim aliud extat nomen, quo ima montium appellamus: ſitiunt agri, elegantius dictum eſt, quàm agri ſicci ſunt, vel areſcunt: iracundia ardere maiorem iræ motum explicat, quàm iracundia moveri.

De numero Troporum.
CAP. IV.

INter Rhetores diverſam invenio troporum rationem, & numerum. Quapropter ne illorum multitudine oratoriæ artis candidatorum mentes cõfundantur, iis omiſſis, qui ad grammaticos potiùs, & poëtas pertinent, brevitati conſulere mens eſt.

Tropos igitur explicandos octo tantùm proponam facilè principes, ex quibus alii ſuboriuntur, & ſunt, Metaphora, allegoria, metonymia, ſynecdoche, antonomaſia, ironia, periphraſis, & hyperbole.

De Metaphora. *CAP. V.*

MEtaphora, latinè translatio, eſt tropus rem ad aliam propter ſimilitudinem transferens; ut *eloquentiæ flumen*, verbum

bum flumen ad oratorem tranſfertur; verba enim hic provoluit, ſicuti aquas illud. Quo tropo nullus florentior exiſtit, ſi in eius uſu arti addatur iudicium. Metaphoræ uſus quadruplex eſt: primus, quando rebus inanimis ea damus, quæ aliis eiuſdem generis conveniunt: ut. *Coacervatis hominum ſceleribus æneum Cœlum ſuas pluere gratias deſierat:* qua in ſententia tres emicare eiuſdem generis metaphoræ videntur ſcilicet *coacervatis ſceleribus*; coacervare enim de lapidibus, & aliis id genus dicimus. Sic *æneum cœlum*, *&* *gratias pluere* translata ſunt, illud a metallo, hoc a pluvia, quæ omnia ſenſu carent.

Secundus metaphoræ uſus eſt, quando animantibus, quicquid aliorum huiuſmodi proprium eſt, concedimus: ut, *Invidi homines, ſceleſti, ac perditi bonorum virtutes allatrantes, ac in ſceleribus ſemel,*

mel , ac iterum pervoluti ipſi ſe devorant . Metaphora poſita eſt in illis verbis , *allatrantes* , quod canibus convenit ; *pervoluti* , ac *devorant* , quod aliorum animalium eſt .

Tertiò ea , quæ de rebus inanimis dicenda ſunt, de re animata fatemur : ut *Cum lætæ hominum familiæ aliò migrare coguntur , non obduratis cordibus propria deſerere recuſant , ſed libentes , quò patres trahunt , eò & ipſæ pertrahi ſinunt* : ubi videtis , quòd verbum , *obduratis* , hominum cordibus aſſignamus , quod lapidum , aliùſque eiuſmodi materiei eſt , ſicut *pertrahi* .

Quartò è contra quando rebus ſenſu carentibus illud tribuimus , quod vitam degentibus conveniret : quæ metaphora omnium maximè prçclara eſt ; ſicuti ea effigies , vel ſimulacrum magis placet , quod adeò affabre effictum eſt , ut loqui , & moveri illud dice-

ceres; ſic et poſtremus iſte metaphoræ uſus vitam, ac ſenſum rebus illo deſtitutis affert: ſit exemplum: *Ne Hebræorum ſpes, Duce Moſe, eoſdem falleret, mare benignum facili eos accepit itinere: Ægyptios verò indignatum frequentibus uſquequaque obruentibus undis in imum proiecit.*

De Allegoria. CAP. VI.

EX metaphoris pluribus ſimul collectis allegoria exurgit, quæ ſententiæ totius ſignificationem à verbis alienam profert; hoc eſt aliud verbis, aliud ſenſu ſignificat: ut *In hoc mare ſcopulis referto, fluctibus tumeſcente, & tempeſtatibus perturbato quiſquam etiam navigandi peritus, niſi polum reſpexerit, naufragium vix cavebit, nec tutus in portum evadet*; cum de mundo, & hominibus loquimur. Hoc loquendi genere uſus fuit Natam propheta Davidem

dem accuſaturus adulterum ſimul, & homicidam. Parabolæ quoque evangelicæ allegorię ſunt omnes, quarum uſus apud Syros frequens erat.

Optima tamen allegoria habetur, quæ perfecta non eſt, illa videlicet, quæ uno, vel pluribus verbis propriis commiſcetur. Sit idem allatum exemplum: *In huius ſeculi mare. Dæmonis inſidiarum ſcopulis referto, humanæ ſuperbiæ fluctibus intumeſcente; ac effrenatarum, malarumque cupiditatum tempeſtatibus perturbato quiſquam navigandi licèt peritus, niſi ad Deiparam ſtellam reſpiciat, animæ ſimul, & corporis naufragium vix cavebit, atque in æternarum felicitatum portum vix tutus ſuccedet.*

Allegoria verò, quæ nullum proprium verbum habet, multoque obſcurior eſt, enygma potiùs dicitur, à quo cum orator maximè averſari debeat, ne unum quidem de eo verbum faciam.

De

De Metonymia. CAP. VII.

MEtonymia, quæ nominis tranſmutatio, tranſnominatio, & denominatio latinè redditur, duobus primariò modis fit; videlicet quando cauſa pro effectu ponitur, & è contra effectus pro cauſa.

Cauſa pro effectu ſumitur, ut ſi diceremus: *Multi iam prætergreſſi ſunt ſoles*, pro diebus, quorum cauſa ſol eſt.

Effectus pro cauſa ſit exemplum: *Roma nunquam tanta intuita eſt miracula, niſi cum Lybiæ terrores damnatis Chriſtifidelibus ſubiectos vidit*; ubi terrores Lybiæ pro Leonibus ſumuntur: ideſt effectus pro cauſa. Eadem pariter ratione pallidam, ſeu frigidam mortem dicimus, & inertem hyemem, quòd homines morte pallidi, & frigidi efficiantur; inertes verò ab hyeme. Ex his duo-

duobus metonymiæ uſibus decem proſiliunt, & ſunt.

1 Quando inventorem pro re inventa accipimus ut, *totis caſtris furebat Mars, & arvis omnibus Ceres proculcabatur*.

2 Auctorem pro eius ſcriptis; ut, *O ſi Senecam homines quotidie præ manibus haberent, eumque pervolverent, vel mores corrigerent credo, vel indemnati non evaderent*.

3 Materiam pro ipſa re, quæ ex illa conficitur; ut *argentum, & aurum non eſt mihi*; pro aurea, & argentea pecunia.

4 Continentem pro re contenta, ut, *ex frequentibus poculis, & extructis menſis quid aliud expectatur, niſi aut effrenatæ libidinis, aut inſani furoris victoria?* eodem modo Roma pro Romanis, Florentia pro Florentinis.

5 Rem contentã pro continente, ut, *Gallorum impetu non ſolùm victi, ſed combuſti etiam Romani fuere*: ideſt Roma.

6 Vir-

6 Virtutem, & vitium pro viro virtutis, ac vitii compote; ut, *Sicut vitia domos, urbes, ac reſpublicas deſtruunt, ſic virtutes eaſdem ſervant incolumes*.

7 Poſſeſſorem pro re poſſeſſa: ut, *adeo pecuniæ cupidi ſunt homines, ut ſi Cræſum ipſum domi retinerent, inquieti adhuc viverent*. Cræſus auri poſſeſſor pro auro ipſo ponitur.

8 Signum pro re per illud ſignificata: *Utinam Crux felix Lunam uſque adeo vinceret, ut ſibi ſubiectam videret*: ubi Crux pro Chriſtianis, Luna pro Turcis ſumitur.

9 Antecedentia pro conſequentibus: ut, *Cum Roma benè cum hoſtibus pugnaviſſet, rerum tandem potita eſt*: ubi pugna, quæ victoriam antecedit, pro ipſa victoria collocatur.

10 Conſequentia pro antecedentibus: ut, *Sol iam in eois plagis apparet*: pro, Nox abit.

Materiam pro re, quæ ex ea

con-

conficitur, & antecedentia pro conſequentibus, ſicuti cōſequentia pro antecedentibus ſynecdoche nonnulli addicunt, ad Metonymiam tamen potius ſpectare videntur; nam ſunt veluti cauſæ pro effectibus; aurum enim, & ferrum cauſæ materiales ſunt, quibus pecunia exiſtit, & enſis; ſicut antecedentia cōſequentium veluti cauſæ ſunt, & è contra.

De Synecdoche. CAP. VIII.

SYnecdoche latinè intellectio, ſeu comprehenſio eſt, cum vel totum pro parte collocatur: ut adeo aurum expetunt homines, ut, *ſi Tagum, Gangemque epotaßent, Pactolum etiam ſorbere velint*: vel, *adeo rerum obliviosſus es, ut Lethem perpotaſſe videaris*.

2 Vel pars pro toto: ut, *cum tecta omnia hoſtes in urbe combuſſiſſent, puppeſque demerſiſſent in portu, victores in Patriam ſunt recepti.*

Ex

Ex quibus duobus quinque alii ſynecdoches conſtituendæ modi proveniunt.

1 Quando genus pro ſpecie accipitur: ut, *avis prandium Eliæ, atque Hilarioni parabat*: ubi avis eſt pro corvo.

2 Species pro genere: ut, *ſic validus erat Carpophorus, ut Lybicum etiam Leonem manibus occideret*, pro quovis Leone.

3 Singularis numerus pro plurali: ut, *Romanus cæſo pedite, atque equite fugato rapta ſpolia Deo ſacravit*.

4 Numerus multitudinis pro ſingulari: ut, *Quis Petris, ac Paulis ardentior? quis Stephanis, ac Laurentiis conſtantior? quis Chryſoſtomis, Hieronymis, aut Auguſtinis doctior? quis Antoniis, & Arſeniis parcior fuit?*

5 Princeps, vel Dux pro populo, vel exercitu: ut, *Ioſue ſic ſtrenuè cum Regibus Amorrhæorum ſigna contulit, ut pugnæ ſimul, &*

victoriæ ſolem habuerit ſpectatorem.

De Antonomaſia. CAP. IX.

ANtonomaſia latinè nominatio, ſeu prænominatio eſt, quando nomen nobilius in laude, ſeu minùs nobile in vituperatione alicui damus: ut cùm hominem ſtrenuum, Herculem dicimus; Sardanapalum, mollem: vel cùm alicui nomen commune damus: ut cùm virum aliquem Philoſophum nuncupamus, vel Theologum, vel Oratorem: vel quando ex re quapiam bene geſta nomen in alicuius viri commendationem deſumimus: ut Scipio Africanus vocatur propter Africam ſubactam, ita Germanicus Imperator propter Germaniam devictam.

De

IRonia latinè diſſimulatio, vel illuſio tropus eſt, qui contrarium verborum ſenſum infert. In hoc a Metaphora, & Allegoria differt; nam Metaphora, & Allegoria aliud verbis, aliud ſenſu ſignificant, nôn contrarium, Ironia verò tantummodo contrarium. Hinc fit, quòd illæ ſimilitudinem quandam rei habent in verbis, quam ſignificant; hęc verò diſſimilitudinem.

Ironia tribus modis confici poteſt. Primò ore, aut corporis totius habitu: Secundò ſignificatione, cùm quicquid dicimus, ei, de quo loquimur, convenire non videtur. Quapropter in viri nonnullius commendatione cavendum maximè eſt, ne illa dicamus, quorum contrarium ipſe egerat: ut ſi virum optimum, vel vitę integrum eum appellemus, qui multa admiſit ſcelera; tunc

ſiqui-

ſiquidem illudere potiùs, quàm commendare videbimur. Tertio nonnullis particulis; ut ſanè, verò, credo, ſcilicet, videlicet, &c. Sit exemplum: *Credas verò, homo infelix, Dæmoni; ille ſcilicet veras tibi voluptates præbebit; ille ſanè multis te cumulabit bonis; ille, puto, beatum te reddet, &c.* Argutior Ironia eſt, quę paucis comprehenditur; ut ſi quem indoctum, Salomonem dicas; infirmum, Herculem; iniuſtum, Davidem.

Hic aculeus potiùs, quàm tropus cautè adhibendus eſt; ſi etenim benè de hominibus dicere non poſſumus, mala etiam tacere ſatiùs erit.

De Periphraſi. CAP. XI.

PEriphraſis, ideſt Circumlocutio tropus eſt, quo quicquid uno, vel paucioribus verbis dici poteſt, pluribus explicatur:

tur: ut, *Quid agis infelix peccator? cur in tot ſceleribus te volutas? jam te manent regna, quibus flammis es cruciandus æternis, te manet profunda abyſſus, in qua tenebris, ac ſemper permanentis mortis umbris ſedebis lugens, te denique manet altiſſimus ille oceanus aſſiduis doloris, ac mœroris procellis perturbatus*, quę omnia pro inferno intelliguntur. Qui tropus, ſi verbis redundet ſuperfluis, potiùs poëtis, quàm oratoribus conveniet. Si verò tempore, & congruis verbis explicabitur, mirè auditores allicit.

De Hyperbole. CAP. XII.

HYperbolem, quæ ſuperlationem ſignificat, tropum dicimus, qui rem plùs, vel minùs quàm ſit, exponit. Hinc duplicem eſſe patet Hyperbolem, alteram, quæ in augendo conſiſtit, altera verò, quę in minuendo conficitur. Illud curandũ eſt, ultrà modũ non

eſſe debere, quicquid ultrà fidem eſſe aſſerimus. Hoc tropo oratoribus cautè utendum eſt; ut fides illi facilè habeatur; Si enim hyperbolicè ſæpiùs loquentur, concio nihil credet. Unum ſit utriúſque exemplum: *Quàm libenter voluntariis in nos ſæviremus cruciatibus, ſi priorum chriſtifidelium atroces in corpora animos animadverteremus; illi ſiquidem ſoli ſublimes incolebant montes, qui cœlum ferè tangebant, in imas deſcendebant valles, quæ ad inferos pertinere videbantur; aſſiduum adeò diligenter ſervabant jejunium, nt nihilo veſci eos, vel abſtinentiis ali diceres, lacrymæ contritionis vi expreſſæ potum illis jugiter præbebant, &c.* Poſtremò dicendum ſupereſt, quòd in uno verbo, vel in una ſententia plures eſſe tropi poſſunt, ut in allatis exemplis videre eſt.

De

De Figuris. CAP. XIII.

FIgura Græco verbo Schema dicta ſermo eſt à vulgari remotus; undè ſicut vir quò magis à vulgo ſegregatur, eò plus in ſe retinet nobilitatis; ita oratio figuris ornata multum habet decoris, ac venuſtatis, quia à communi dicendi genere ſepoſita eſt. In hoc differunt figuræ à tropis, quòd tropi in verborum tranſlatione conſtituuntur; figuræ verò propria, & vernacula verba non reſpuunt.

De Repetitione. CAP. XIV.

PRima figurarum Repetio dicitur, quæ cum omnium facillima ſit, priorem etiam ſortita eſt locum. Repetitio igitur fit, cum idem verbum iteratur, quod quia pluribus repetitur locis, ideò repetitio plurima nomina obtinuit.

Quando verba in principio repetuntur, à Græcis dicitur Anaphora, à Latinis autem Repetitio: ut, *Quanta nobis à Deo impertiuntur? Ille nobis commoda, quibus utimur, frequentia donat. Ille lucem, qua fruimur, quotidie elargitur. Ille ſpiritum, quo vivimus, nobis conſervat. Ille valetudinem, quam mali toties vitiavere mores, ſæpè ſæpiùs reſtituit, &c.*

Secundò repetuntur verba in fine tantùm, & tunc Epiſtrophe, ſive Epiphora à Græcis, à Latinis verò Converſio, ſeù Reverſio dicitur. Sit idem exemplum, ut eandem ſententiam per figuras variare addiſcatis. *Frequentibus commodis utimur? ea nobis elargitur Deus. Cæleſti perfruimur luce? eam concedit Deus. Spiritum ducimus? illum nobis conſervat Deus. Valetudine gaudemus? illam nobis tribuit Deus.*

Repetuntur tertiò eadem quoq; verba in principio, & fine, quam

figu-

figuram Græci Symplocem, Latini verò Complexionem appellant, quæ utramque ſuperiorem complectitur. Sit idem exemplum. *Quis commoda nobis frequētia elargitur, niſi Deus? Quis lucem, qua fruimur, quotidie nobis donat, niſi Deus? Quis ſpiritum, quem ducimus, nobis conſervat, niſi Deus? Quis valetudinem, quam mali vitiaverant mores, nobis reſtituit, niſi Deus? &c.*

Quartò repetuntur paritèr, cùm ſimul verba iterantur, & tunc appellatur Conduplicatio, quæ ad magnam animi affectionem oſtendendam plurimùm valet: ut, *abuteris, abuteris, inquam, divina adhuc patientia, &c.*

Quintò tota nonnunquam ſententia reſumitur, & hoc fit ad demonſtrandum quicquam magnū, animiſque infigendum. Verùm antequam tota repetatur ſententia, alia interponuntur verba: ut *Quanta nobis à Deo donantur? Ille*

 no-

nobis,&c. (hìc divinis enumeratis beneficiis iterùm dicitur.) *Quanta igitur nobis à Deo donantur?*

Denique tot modis, ac nominibus variatur figura Repetitionis, quot iterari poſſunt verba. Verùm ne longiùs protrahamur, oratoris prudentiæ illud relinquendum eſt.

De Traductione. CAP. XV.

Repetitioni affinis Traductio eſt, quæ Polyptoton Græcè dicitur. Ea fit, cùm verba paululùm immutata in oratione ponuntur. Variantur autem verba, vel caſuum, vel temporum, vel modorum, vel alius rei diverſitate: ut, *Divinam gloriam quis non enarrat? enarrant cœli, enarrabit terra, omnes denique enarrabunt gentes.*

De Synonimia. CAP. XVI.

Synonimia fit, cùm plures voces parùm ſignificatione di-

verſæ ſimul congregantur, in qua figura notandum eſt, quòd verba illa non ſolùm idem penitùs non ſignificent,ſed vel ſemper augeatur, vel minuatur ſignificatio juxtà periodi ſententiam. Sit illud Ciceronis exemplum. *abiit*, *exceſſit*, *erupit*, *evaſit*, quæ voces magnam explicant celeritatem, ſed aliæ aliis majorem.

Majorem in ſe vim continet Synonimia, ſi conjunctionibus careat,ut in exemplo allato,vel abundet, ut in ſequenti: *& tabulam vidi*, *& perſpexi*, *& intuitus*, *& contemplatus ſum*.

De Aſyntheto. CAP. XVII.

ASyntheton,quod maximè Synonimiam exornat, figura eſt, quæ conjunctionem omnem tollit. Sit exemplum; *veni*, *vidi*, *vici*. Qua in re illud notandum eſt,quòd verba, quæ ſine conjunctionibus glomerantur, idem ferè

ſignificare non oportet, ſed figura hæc in quacumq; ſententia poteſt adhiberi, præſertim, ubi oratoris ardor exprimitur.

De Polyſintheto. CAP. XVIII.

Polyſintheton latinè conjunctio ſuperiori cõtraria eſt frequens conjunctionum repetitio: ut, *Quìd, ſceleſte, tot Deum criminibus laceſſis? an quia & opibus abundas, & amicis? Scias velim & illũ te familiaribus, & divitiis privaturum, & ſpiritum tibi exempturum, & amplius tui non miſerturum eſſe; ſed te & ad judicium vocaturum, & judicaturum, & damnaturum.*

De Gradatione. CAP. IX.

Climax latinè Gradatio eſt, cùm gradatìm voces repetuntur, hoc eſt cum ex una ad aliam per gradus devenitur. Hoc fit vel rem augendo, vel minuendo:

ut,

ut, *Res adverſæ patientem efficient animum, patiens verò conſtantem, conſtans beatum.* Hoc ſit exemplum in augendo. In minuendo verò ita: *Animus hominis rebus viſis delectatur, viſæ res illum attrahunt, attractus deiicitur, dejectus verò omninò perditur.*

De Commutatione. CAP. XX.

Commutatio, quæ appellatur etiam Reverſio, fit cùm duo membra ita diſponuntur, ut poſteriùs ex antecedenti, ordine inverſo, proficiſci videatur: ut, *Si multi hominum ederent, ut viverent, & non viverent, ut ederent; terrenas voluptates deſpicerent credo, ut cœleſtes acquirerent, non cœleſtes deſpicerent, ut terrenas acquirerent.*

De Paronomaſia. CAP. XXI.

Paronomaſia, ideſt annominatio fit cum ponuntur verba ſono

no ferè ſimilia, ſed ſignificatione diverſa: ut, *Juvenum nihili intereſt amentes videri, dummodo ſint amantes. Qui fame pereunt, fama nihil afficiuntur.* Hac ſæpiſſimè utitur D. Auguſtinus.

De Alliteratione. CAP. XXII.

ANnominationi non multum differt alliteratio, quæ eſt cùm unius verbi pars in ſibi propinqua reperitur: ut, *Quid ſemper in hac terra res proſperas ſperas? Si forſan aliquid immundi in mundo quæris boni, nunquam particeps muneris eris.* Hinc fit Echo, ſed figura hac, niſi aliqua me neceſſitas cogeret, nunquam uterer.

De Adjunctione. CAP. XXIII.

ADjunctio Græcè Zeugma figura eſt, cum plures ſententiæ ad unum tantùm verbum referuntur: ut, *Deum movet pietas,*

homines liberalitas, feras conſuetudo. Si verbum in prima ponatur Sententia, ut in explicato exemplo, Protozeugma appellatur; Si verò in mediam ſententiam incidit, Metozeugma: ut, *Avari pecuniam, libidinoſi voluptates cupiunt, perfecti virtutem.* Si verò in ultima collocetur, Hypozeugma: ut, *Caro illecebris, divitiis mundus, phantaſmatis Dæmon nos tentat.*

De Figura ſimiliter cadente.

CAP. XXIV.

QUod Græci Homeoptoton appellant, à Latinis ſimiliter cadens dicitur. Hæc figura efficitur, cùm in eoſdem caſus ſententia clauditur. Caſus non tantùm nominum, quàm verborum ſunt, hoc eſt tempora: ut *Romani totum terrarum orbem devicerunt, Turcæ voluptatibus, ac licentiis illum dominuerunt, orationibus verò, & cruciatibus Apoſtoli ſuperarunt.*

varunt. Figura ſimiliter cadens eſt in illis verbis *devicerunt*, *domuerunt*, *& ſuperarunt*, quæ ſunt ejuſdem temporis.

De ſimiliter deſinente. CAP. XXV.

SImiliter deſinens à Græcis appellatur Homoëtoleuton, & fit, quando plures ſententiæ in eaſdẽ deſinunt ſyllabas, quod Rythmus etiam dicitur toties à D. Thoma Aquinate adhibitus. Hoc autem animadvertendum eſt, quod hæc figura, licèt poëtarum ſit propria, ſi tamen cautè ea utatur orator, magnam concinnitatem, & pondus orationi affert. Sit exemplũ. *Mortalium animi voluptatibus marceſcunt*, *virtutes, ſi quæ ſunt*, *decreſcunt*, *& vitiorum vires intumeſcunt*, quæ verba eundem ſervant exitum, quem rythmum appellavimus. Hoc autem inter ſimiliter cadentem, & ſimiliter deſinentem intereſt, quòd ſimiliter cadens

ca-

caſus, & tempora ſola reſpicit, non autem deſinentias; ſimiliter verò deſinens non caſus, & tempora, ſed deſinentiam ſpectat. Nonnunquam verò deſinentia, & iidem caſus, & tempora ſimul reperiuntur, ut in exemplo allato.

De Iſocolo. CAP. XXVI.

ISocolon, ſeu Compar figura eſt, quę orationis membra ejuſdem ferè ſyllabarum numero paria efficit. Quæ figura ſi ſtrigoſa quadam dimenſione perficiatur, nihil ea odioſiùs eſt. Bonus verò aurium uſus id facilè, & venuſtè obtinet. Quapropter aſſueſcant juvenes bonis ſtudere auctoribus; ſi enim hoc efficiant, multum non in hac ſolùm figura, ſed in oratione tota præſtabunt, bona namq; auris optimum os efficiet: hujus figurę ſit exemplar: *Religioſi viri in odeo commendant Deum, in menſa corpus reficiunt, in cubiculo verò quieſcunt.*

De

De Antitheſi. CAP. XXVII.

CОntrapoſitum, vel contentio, vel oppoſitio à Græcis antitheſis, & antitheton dicitur, et fit, cùm ſententia contrariis perficitur verbis; *ut qui bonum vitat, in malum facilè offendet*.

Figura hæc tribus conſtituitur rationibus. Primùm quando ſingula ſingulis verbis opponuntur: ut in allato exemplo. Secundò, quando bina binis adverſantur: ut, *Sapiens labori, ac virtuti; voluptatibus autem, & vitiis indulget inſipiens*. Tertiò quando ſententiam ſententiæ contrariam apponimus: ut, *Mali homines, ac perditi nil præter voluptates appetunt, boni autem, ac recti laboribus inhærent*.

Hùc pertinet Diſcriminatio, quæ à Græcis Paradiaſtole appellatur, quandò contraria, vel diſſimilia ob aliquam particulam diſcernuntur, quæ in antitheſim refun-

funditur: ut, *non fortis, & conſtantis eſt viri ſe ipſum interimere, ſed infirmi; in diuturna etenim dolorum perpeſſione, & tolerantia, non in repentina morte cognoſcitur fortitudo.*

De Interrogatione. CAP. XXVIII.

Figurarum omnium maximè multiplex Interrogatio eſt; tot enim genera complectitur, quot ſunt interrogandi modi, ex quibus tantùm ſex recenſendos exiſtimavi, veluti fontes, undè alii quàm plurimi emanare poſſunt.

Primùm itaque aliquem inſtandi cauſa interrogamus: ut, *Quid tandem fructus ex ignorantia collegiſti?*

Secundum genus eſt cùm objurgandi ergo interrogamus: ut, *Quænam te dementia ad id facinus perpetrandum coëgit?*

Tertiò ad miſerationem ex audito-

ditorum animis ciendam interrogamus: ut, *Dicite infelices animæ cathartico igne damnatæ, quot ex levioribus delictis cruciatus adhuc vobis ſuperſunt, niſi mortalium ope ſublevemini?*

Ad indignationem quoque interrogamus; ut, *Quid tantum mali fecit nobis Deus, ut ejus mandata, & legem abiicere audeamus?*

Quintò admirationem etiam interrogando concipimus; ut, *Quot tormenta tuliſtis Sancti omnes, ut ad gaudiis æternis fruendum perveniretis!*

Sextò noſmetipſos ſæpe ſæpiùs, & non indecorè interrogamus: ut *Quid hìc tantis errorum tenebris involutus agam? quò ſcelerum meorũ laqueis implexus me vertam, niſi ad peccatorum Patronam optimam, Deiparam?*

De

De Subjectione. CAP. XXIX.

EX interrogatione Subjectio dimanat, quæ figura tunc fit, quandò interroganti ſibimet reſpondet orator: ut, *quas pœnas vobis leviores errores præbent, o animæ diſcruciatæ? Nullam eſſe credo in hac terra, quæ vel earum minimæ ſit comparanda.*

De Prolepſi. CAP. XXX.

PRolepſis latinè Occupatio ideò redditur, quia quicquid obiici poteſt, occupando reſpondemus: ut, *Multi veſtra refert, auditores, nunquam animæ periculum propter corpus ſubire; ideò animæ potiùs, quàm corporis curam vobis habendam eſſe affirmo.* Poterant auditores reſpondere: Quid tibi nobiſcum orator? cur de corpore clamitas? Idcircò eos verbis ſuperiùs allatis occupat. Ex hac figura

gura pulcherrimè orationis exordium pro Sex. Roſcio Amerino Tullius deſumit: *Credo ego vos, Iudices, mirari, quid ſit, quòd cùm tot ſummi oratores, hominesque nobiliſſimi ſedeant, ego potiſſimùm ſurrexerim, &c.*

De *Apoſtrophe*. CAP. XXXI.

Apoſtrophe fit, cum orator ſermonem ab auditoribus ad quempiam alium convertit, ſive præſens, ſive abſens ille ſit: ut ſiquis ad cruciatus æquo animo perferendos, vel ad infortunia promptè ſubeunda concionem hortetur, orationem ſuam poterit in medio ad beatos ſic dirigere: *Vos teſtes dico Martyres invicti, qui nunc maxima perfundimini lætitia, quàm innumeras olim perpeſſionum afflictiones libenter toleraſtis, dicite, quàm citò pœnarum evanuerunt dolores?* Tum ſua ad auditores verba iterum convertet.

tet. Non damnabitur concionator, ſi inanimes res alloquatur; immo maximè laudabitur, ſi opportunè cum rebus ſenſu carentibus ſermonem inſtituat: exempli gratia; Dum aſperum D. Joannis Baptiſtæ vitæ genus explicat, ad maiorem pœnarum evidentiam oſtendendam huiuſmodi, vel ſimili voce affatur: *Vos ſaxa loquimini, quæ veſtra duritie molle ei cubile ſtraviſtis; vos ſacræ Iordanis undæ, quæ cum illis permixtæ lacrymis puriores fluxiſtis; vos littora, vos ſylvæ, vos ſpelæa, quæ eius efficaciſſimæ voci echonem reddidiſtis.*

De Proſopopœia. CAP. XXXII.

PRoſopopœia figura eſt, per quam fictis perſonis, rebuſque mutis ſermonem tribuimus; ut si chriſtianos ad vitæ mores componendos hortari velimus, Eccleſiam ipſam ita loquendo introducamus

troducemus: *Quonam veteres abiiſtis fideles? Vos divitias omnes etiam copioſiſſimas vel ad pauperes alendos erogaſtis, vel ad Apoſtolorum pedes proieciſtis, ne minimùm quidem animos fœdarent. Nunc verò in chriſtianorum cordibus vel minima ſervatur pecunia, quæ in altiſſimam vitiorum abyſſum eos deiiciet. Vos primum ortum meum paupertate ſpontè quæſita decoraſtis: iſti verò divitiis coacervatis animos ſuos, meamque pulcritudinem fœdant. Vos ſupremas conſulatus dignitates, ut Crucem amplecteremini, abdicaſtis, iſti verò, nobiliſſima Chriſti demiſſione abiecta, munera quæque, & honores ſequuntur, &c.* Benè etiam in extremi Iudicii cõcione incorruptum Mundi Arbitrum Chriſtum Dominum populorum crimina arguentem, perditoſque damnantem effingemus graviora in eius ore verba ponentes. Sic ad fidelium vita functorum miſerationẽ ciendam,

pro-

propinquorum, vel amicorũ manes querentes optimè adducemus. Figura hæc ſicuti inter cæteras præſtantiſſima eſt, ſic ridiculam fore cenſeo, ſi paſſim, & imprudenter adhibeatur.

De Hypotypoſi. CAP. XXXIII.

QUam Græci Hypotypoſim, & energiam, Latini demonſtrationem, ſeu evidentiam appellant. Ea tunc venuſtiſſimè accidit, cùm res adeò evidenter deſcribuntur, & exprimuntur, ut oculis potiùs, quàm auribus ſubiici videantur, ut ſi proditorem Iudam militum ducentem catervas ad Dei Filium vinciendum oſtendere velis, ſic dices: *Ipſe pecuniæ cupiditate flagrans, ac inflammatus ſcelere, primus velut infernarum turmarum dux procedit, ardent oculi, impetu graditur, & toto ex ore crudelitas emicat. Ac ne ſatellites diſcipulos timeant, ver-*

verbis animos ſubinde addens rem populi Principibus gratam facturos monet, torpentes caſtigat, præmia ſpondet, &c. Hæc in iis enarrandis bene adhibetur, quæ magnum animorum motum excitare ſolent, ut in triſtibus, horribilibuſque rebus, earumque contrariis; ut in concione de extremo Iudicio, de Gehennæ pœnis poterit quis damnatorũ mœſtitiam à Dæmonibus in æternos ignes abſtractorum deſcribere; eorumque pariter diviſionem exprimere, qui benedicti ad cœlos vocabuntur ab iis, qui deorſum in infernum detrudentur. Simili ratione beatorum felicitates per Hypotypoſim demonſtrãtur. Maximam huic figuræ fert opem ſimilitudo, quæ rem ob oculos ponit. Hæc figura ſicuti difficilis valde eſt, ita niſi graviter, & opportunè fiat, putida facili negotio evadet, & ad riſum potiùs quàm ad peroptatam animorum com-

commotionem vel invitos pertrahet auditores.

De Ethopœia. Cap. XXXIV.

HYpotyposi similis ethopœia eſt, quæ expreſſio alicujus hominis morum dicitur: ut ſi velimus Chriſtum Dominum ſalutis dogmata tradentem oſtendere, ejuſdem doctrinam, ſuavitatem, zelumque in ea edocenda, ſic explicabimus. *Noſtrorum animarum ſervator, ut monita doceret æterna, per urbes, per vicos, propter mare homines convocans modeſto æquè, ac gravi ſemper vultu incedebat, ſuavi vocis ſono loquebatur, veſte vulgari, & cibo, qui ad manus erat, utebatur ita, ut oculis, ore, ac toto corporis habitu divinum quid præfulgeret; illum vidiſſetis peccatores benignè excipere, &c.*

ADmirabilis huius figuræ uſus eſt, si prudenter fiat; nam correctio eſt, quando non errores imprudenter corrigimus, ſed quando nos dedita opera id, quod diximus, ſponte arguimus. Id duabus rationibus ut plurimùm efficimus. Primò vel correctioni aliquid contrarium ſubiungimus: ut si de Iuda ſermo sit: *Iudas miſer ille apoſtolus, erravi, perditus ille proditor*, &c. vel poteſt eſſe etiam in tota periodo; ut de Petro, & Paulo: *Glorioſi cœlorum, terræque Principes Petrus, & Paulus capita Neroni dederunt: immò de Nerone tyranno immaniſſimo triumpharunt.*

Secundò addendo aliquid inexpectatum: ut si quis Sacerdotum dignitatem extollere cupiat, excogitetque illud argumentum, Sacerdotes perquam familiares

Al-

Altiſſimi eſſe : quod argumentum poſtquam ſatis ſuo protractum fuerit ornatu, correctio addi poteſt tali pacto: *Verum quid dixi; Sacerdotes Altiſſimi familiaritate uti? dicendum potiùs erat Altiſſimo ferè iubere*. Multi licet alii ſint huius figuræ modi, venuſtiores tamen duo tantum ſuperiùs explicati videntur.

De Dubitatione. *CAP. XXXVI.*

QUoties in oratione dubitamus, toties dubitatio figura eſt. Si verò dubitamus propter memoriæ imbecillitatem, vitium profecto erit, non figura; dubitationis enim figura non ſolum arte conficitur, ſed etiam tractatur. Hæc pluribus quanquam oſtenditur, tribus tamen potiſſimùm fieri dicerem rationibus.

Primò, quando veremur, an aliquid dicendum ſit, quod tunc

maximè dicimus. Hoc fit quando aliquid vel minus gratum, vel minus decens, vel auditoribus inviſum relaturi ſumus; & tunc huiuſmodi verbis hæc figura completur: *An veſtris ſim auribus ingratus futurus neſcio, ſi dicam, &c. Vereor ne gravitatem, ſeu nobilitatem, ſeu modeſtiam, &c. lædam, ſi dixero, &c.* & ſtatim illud narratur, quod volumus.

Secundò quando dubitamus, unde incipienda ſit concio: ut *Tanta, & tam præclara D. Dominici mihi primùm occurrunt geſta, ut unde exordiar, prorſus neſciam.*

Tertiò quando dubitamus, ubi deſinenda ſit concio: ut *Quem exitum orationi ſim impoſiturus, neſcio, ſi enim iſta omittam, vereor, ne Divo N. iniuriam faciam: ſi verò dicam, prolixioris ſermonis vitium non effugiam.*

De

De Communicatione.
CAP. XXXVII.

DUbitationem ſequitur Communicatio ei valde ſimilis; nam per illam an aliquid dicendum ſit, dubitamus; per hanc autem, quid nobis agendum ſit, incertos nos demonſtrantes Auditores conſulimus: ut *Si nunc te mors præveniat, dic mihi quid hìc ageres? quibus lacrymis peccata tibi flenda eſſe cenſeres? quo animo vale mundo diceres?* Hæc figura ad rem, quæ factu difficilis ſit, comprobandam plurimùm valet: ut in concione de criminum periculis vitandis, & eorum occaſionibus, quibus auditores valde ſint addicti; tunc enim ita rem agemus, ut cum illis deliberare videamur: ut *Aliquis veſtrum in mare ferè demerſus procellas, in ſcopulum cum reducere ſe poſſet, non vitabit? Quis in fluminis pleno al-*

alveo decurrentis ripis immorans periculum non effugiet? Quis vinculis confractis ex hoſtium manibus ſeſe eripere valens moram faciet? Quis, &c. & vos in altiſſimæ æterni ignis voraginis periculo commorantes inibi ludetis? neque tantum a vobis periculum amovebitis? quid faceretis, ſi, &c.

In communicatione efficienda cavendum eſt, ne auctoritas oratoria demittatur; nam si orator cum populo deliberaret, qua de re dicturus sit, adulationis gratia magis, quàm eorum utilitatis ergo locuturus videretur. Quapropter illa cum auditoribus communicanda ſunt, quæ nihil loquentis dignitati obsint.

De Suſtentatione.
CAP. XXXVIII.

SUſtentatio dicitur figura, per quam diù auditorum animis ſuſpensis aliquid vel inexpectatum

tum additur, vel magnum, vel leve, quæ figura si arte bene tractatur, mirum in modum ſuſpendendo allicit, ac eos, qui audiunt, pertrahit.

Quando aliquid inexpectatum ſubiungitur, sit exemplū: *Quidnam putatis Iudam voti compotem effectum, pecunia accepta, denariis ſibi à Principibus traditis emiſſe? domum forſan, ut aliquem, quò ſeſe reciperet, locum haberet? greges, & armenta, ut divitias ſibi in dies augeret? &c. Audite, laqueum, quo ſuſpenſus interiret, ſibi emit.*

Quando quicquam magnum ſubiicitur, sit exemplum: *Scire vultis, quem David adoleſcens paſtor lapidis ictu feriret? Mulierem forſan imbellem? non; puerum? minimè; gregarium militem? nequaquam. Quid hic diū me ſuſtinetis? Gigantem ſaxo appetiit, percuſſit, deiecit, proſtravit.*

Quando aliquid leve additur, sit exemplum: *A' quonam Davi-*

dem gigantum , magnorumque exercituum interfectorem ſuperatum eſſe putatis ? a Duce ? a Leone ? & a feris in eum immiſſis ? ab agminibus in illum concitatis ? A muliere infelix devictus fuit .

De *Prætermiſſione* .
CAP. XXXIX.

PRætermiſſio eſt , quando illud præterire , aut neſcire dicimus , quod tunc maximè dicimus. Ex qua definitione duo leguntur modi eiuſdem figuræ uſus .

Primus modus eſt ; qui ſequenti exemplo explicatur : ut in alicuius ſancti panegyri , cum illum laudare poterimus plures eiuſdem virtutes enumerantes , ipſas tamen præterire annuimus . *Illud prætereo , quantam in adverſis rebus tolerantiam habuerit : Non dico quanta in ipſis tolerandis conſtantia fuerit : Silendum cenſeo , quanta corporis modeſtia effulſerit :* Taceo , &c. Al-

Alterius modi exemplar ita explicatur: De D. Ioanne Baptiſta: *Non quæro quàm in corpus ipſe ſævierit. Non flagito quot dies inedia conſumeret. Omitto quot lacrymis antrorum ſaxa rigaverit. Omnia denique prætermitto; quæ nemo, niſi ſolus ille ſcire poterat.* Hæc figura præteritio etiam dicitur.

De Conceſſione. CAP. XXXX.

Conceſſio eſt quando orator aliquid concedit, quod ſit iniquum, ut alia, quæ dicet, graviora appareant, & iniquiora; vel quæ negari non poſſint; aut quibus reſpondere perdifficile ſit; ut in concione de inimicorum dilectione poterit per hanc figuram bene argumentum explicare. *Ieiunium ſervare non poteſtis? eſto. Virginalem pudicitiæ florem cuſtodire moleſtum vobis eſt? concedatur. Ad bona, paternaſque divitias pau-*

peribus erogandas induci non poteſtis? facile patior, &c. At diligere vos non poſſe dicetis? non credam.

De Permiſſione. CAP. XXXXI.

PErmiſſio eſt cum alicui rei vehementer confidimus, & oſtendimus alicuius voluntati eam nos tradere, atque concedere: ut in oratione de Chriſti Servatoris morte poterit orator ita homines alloqui: *En ante vos pendens Ieſus Filius Mariæ; illum vobis trado. Accipite nunc, & quicquid de eo vobis libet, facite. Accipite eum vos ſuperbi, & ſpineo ſerto eius tempora transfigite. Accipite eum vos auri cupiditate affecti, & veſtris illum poſthabete quæſtubus. Accipite eum vos pravis dediti voluptatibus, eiuſque puriſſima membra ſæviſſimis ſcelerum verberibus dilacerate. Accipite, &c.* In qua figura illud animadvertendum eſt; quod paucis in principio eiuſ-

dem

dem annui -- *cum alicui rei vehementer confidimus* -- hoc eſt, quando id præ manibus habemus, quod concedimus ita, ut à nobis auferri non poſſit; ſi enim id, quod tradimus, & ultrò concedimus, accipiendum ab auditoribus eſſet, ab hac figura abſtinendum utique eſſet: ut ſi infidelibus concionem quis haberet, dicendum illis non eſſet: *Accipite vos Chriſtum patibulatum, & ſceleribus iterum occidite*.

De Obſecratione. *CAP*. XXXXII.

OBſecratio, quæ ab aliis etiam Deprecatio dicitur, tribus rationibus fit.

Primò cum ab aliquo quicquam petimus, vel precamur.

Secundò quando alicuius opem imploramus.

Tertiò cum ad aliquid hortamur, hanc figuram per res gratiores efferimus: ut si Deum ob-

ſecremus, per unigenitum eius filium rogabimus, quo modo orationes omnes abſolvit Eccleſia. Si verò Sanctos rogemus, per virtutes illas obſecremus, quibus maximè effloruerunt; ut martyres per conſtantiam in cruciatibus perferendis, virgines per virginitatem. Si verò mortales homines rogamus, patres per filios orabimus, filios per patres, &c. Hac figura utimur, quando auditores orationis noſtrę argumentis non videntur permoti, tunc enim obſecrationibus opus eſt: ut si quis obſtinatos orantium animos rationibus adhuc flecti non viderit, tunc obſecrare ſic poterit. *Per veſtræ ego vos animæ ſalutem oro, obteſtorque, ut quoniam ad bonam frugem argumenta vos redire minimè impellunt, veſtri ipſorum rationem habeatis.*

De

De Exclamatione.

CAP. XXXXIII.

EXclamatio doloris, indignationis, atque alius animi motus effectum demonſtrat; ideoque tot ſunt exclamationum genera, quot ſunt animorum motus. Ad dolorem patefaciendum hoc adducam exclamationis exemplum in animæ æterno igni devotæ ore pro concione de Inferorum pænis: *Heu nos miſeri, qui pro breviori voluptate capienda æternas luimus pænas.*

Ad indignationem oſtendendam pro concione extremi iudicii Deum ita exclamantem inducat orator: *Ah! infelices homines! quandiù vos paſſus ſum memet irridentes? quoties vocavi, & renuiſtis, &c. Iam nunc a me diſcedite maledicti in ignem, &c.*

Sic de aliis animorum motibus alia quis adducere per ſe poterit

exempla: ut Exclamatio ad miſerationẽ, ad admirationem, &c.

De Diſtributione.
CAP. XXXXIV.

DIſtributio eſt cum aliquid per partes, ſeu membra diſtribuimus, & poſtea eorum uniuſcuiuſque ratio ſubiungitur. Figura hæc duobus modis contexitur.

Primò, quando omnes ſimul coniunctæ partes enumerantur, tum verò quarumcunque rationes ſubduntur: ut D. *Antonius Abbas fuit Dæmonum terror, hominum perfugium, & Fidei catholicæ propugnator acerrimus; nam cacodæmones è mortalium corporibus in tartara detrudebat, homines curis, cruciatibuſque oppreſſos verbis reficiebat: hæreticos verò adeo inſectabatur, ut non ſolùm ab eorum falſis dogmatibus, verùm ab eorum etiam conſpectu abhorreret.*

Se-

Secundò, quando aliquod membrum, vel pars proponitur, & ſingulis ſtatim ſua ratio additur: ut *Deus ut creator diligendus eſt; ille etenim nos omnes ex nihilo condidit; ut Redemptor amandus, cruore etenim ſuo pretioſiſſimo ab inferorum tyrannide immaniſſima nos eripuit; ut Iudex etiam timendus eſt, quoniam extrema die totum terrarum orbem, cœloſque iudicaturum videbimus.*

De Epiphonemate.
CAP. XXXXV.

Epiphonema eſt rei alicuius iam demonſtratæ gravis acclamatio. Præcipue adhibetur figura hæc, quando aliquid narratur, in quo plurimæ occurrerunt difficultates: ut ait Virgilius, qui enumeratis variis caſibus, & rerum diſcriminibus ante quàm Romanum ſtatueretur imperium, poſtremò omnia ita

clau-

claudit: *Tantæ molis erat Romanam condere gentem*. Clarius tamen ad rem noſtram; poſtquam Chriſti Domini cruciatus quis enumerauit, addet: *Tanti ſtetit apud Deum homuncionis anima*.

De Memoria. CAP. XXXXVI.

DE memoria, & pronunciatione, quæ poſtremæ Rhetoricæ ſunt partes, dicendum ſupereſt. Quoniam verò natura eas nobis potius elargita eſt, quàm arte comparatæ, iccirco talibus contenti eſſe debemus, quales à Deo accepimus: ac propterea pauca ſunt addenda, ut naturæ primordia artis ſubsidio tueamur, & firmemus. Quò igitur facilius memoriæ orationem habendam commendare poſsimus, nonnullis puerilibus omiſſis adminiculis, quæ ſunt quędam locorum, imaginum, auditorum, aliarumque huiuſmodi rerum lectiones, in quibus velut

in

in ſpatiis concionis partes animo concipimus, ut illas intuentes ea, quæ dicturi ſumus, ad memoriam revocare poſſimus, primò omnium magna patientia adhibenda eſt, ut menti orationem inſigamus; quoniam dum concionem teximus, vel præludimus delectatio aliqua animum libenter movet; dum verò, ut memoria ſcripta retineamus plus moleſtiæ experimur.

Oratio deinde aliquo ex his ordinibus, qui in libro ſecundo explicati ſunt, facienda eſt; res etenim ordine digeſtæ, memoria ægrè excidunt; quia priori prolato argumento, quæ deinceps ſequantur, facile meminimus.

Tertiò Confuſus dictionis totius conceptus, tum ſingulę eiuſdem partes menti ſunt demandandæ. Verùm cavendum eſt, ne dum ad poſteriora orationis membra addiſcenda incumbimus, priora omittamus. Quapropter altera bene percepta parte, una cum

pri-

prima repetamus oportet.

Quartò multùm etiam proderit, si libellum eundem, in quo ſcripta fuerit oratio, ſemper prę manibus habeamus, ne foliorum confuſio memoriam perturbet.

Matutinum denique tempus ad aliqua diſcenda optimum habetur, pręſertim cum ſuperiori veſpere iterum atque iterum ea oculis percurrerimus.

De Pronunciatione.
CAP. XXXXVII.

NOn immeritò pronunciationem dixi cap. 1. lib. 1. vocis, & corporis totius eſſe moderationem; nam quamvis voce tantum ea perficiatur; oculi tamen, manus, & omnia Oratoris membra unà cum lingua loqui debent: hoc eſt corporis geſtus iuxta verborum ſententiam formandi ſunt. Propterea tota concionatoris actio, ex qua orationis

nis ſpiritus, & vis pendet, in ore, & reliquis corporis partibus verſabitur. Nulla erit recta actio, niſi ea prope intelligat, ac firmiter teneat Orator, quæ dicturus eſt. Ideoque caveat ne exedram aſcendat, ſi leviter tantum orationem memoriæ mandaverit; alioquin actionem bene moderari nunquam poterit.

Quod vero ad vocem ſpectat, illa ineunte exordio tota effundenda non eſt, ſed primo ſubtimida paulatim exurgat, præterquam in exordio exabrupto, in quo, ut annui, vehemens erumpat. In reliqua oratione pro rerum, atque affectuum varietate eſt efferenda. In hiſtoriis enunciandis, ſedata, & facilis, in rebus lætis iucunda, & lenis, in mæſtis flebilis ſit, & conciſa. Dum iraſcitur orator, vehementèr, & concitatè, dum hortatur, ſuaviter, & ſpe plenus verba proferat. In tota denique concione

vox

vox ſemper clara emittatur, & iuxta loci ambitum.

Corpore ita ſe gerat, qui dicit, ut actione ea confirmet, quæ verbis enunciat; curet tamen, ne ita putidus evadat, ut hiſtrionem agere videatur, ſed gravitatem ubique præſeferat. Oculis primum, & faciei toti, quod animi ſpeculum dicitur, ſic moderetur, ut cum lætatur, & hortatur, gaudium, gratiam ſimul, & amorem concilient; cum mæret, modeſtiam, dolorem, & fletum indicent; cum iraſcitur, flamma ſcintillantes indignationem teſtentur. Manu dextera in agendo primas obtineat, cui ſiniſtra aliquoties ſubſerviat, quæ iuxta orationis materiam invaleſcant, & ſursùm, ac deorsùm, hùc, atque illùc extendantur, & quamvis mutæ, verba tamen in auditorum animos geſtibus altiùs infigunt; nunquam verò ſupra caput ſunt extollendæ.

To-

Toto denique corpore probitatis quidam reſplendeat decor chriſtianis virtutibus acquiſitus. Orator enim malè audiens non ſolùm fruſtra, ſed contra ſe dicere videtur.

FINIS.

INDEX
CAPIT.
LIBER I.

QUID ſit Rhetorica, & quot ejus partes. Cap. I. pag. 6.
De Inventione. Cap. ij. 11.
Unde ſumatur dicendi materia. Cap. iij. 12.
De locis communibus, Cap. iv. 15.
De Definitione. Cap. v. 17.
De Partium enumeratione. Cap. vi. 18.
De notatione, & Conjugatis. Cap. vii 20.
De Genere. Cap. viij. 22.
De Speciebus, ſive Formis. Cap. ix. 24.
De Similitudine. Cap. x. 26.
De Diſſimili Cap. xi. 29.
De Contrariis. Cap. 12. 30.
De Repugnantibus. Cap. 13. 34.
De Adjunctis. Cap. xiv. 35.
De Antecedentibus, & Conſequentibus. Cap. xv. 41.
De Cauſis. Cap. xvi. 43.
De Effectis. Cap. xvij. 46.
De Comparatione. Cap. xviii. 47.
De ratione amplificandi materiam, et præſertim argumenta. Cap. xix. 49.
De ſecundo amplificationis modo. Cap. xx. 51.

De

De tertio amplificationis modo. Cap.xxi. 53.
De quarta ampliſicandi regula. Cap.xxii. 55.
De quinta amplificationis regula. Cap. xxiij. 57.
De rerum ſylva. Cap. xxiv. 58.

LIBER II.

DE Diſpoſitione, & ejus partibus. Cap. 1. 61.
De dicendi generibus. Cap. ij. 63.
De Exordio. Cap. iij. 64.
Quotuplex ſit Exordium. Cap. iv. 66.
Unde deſumantur Exordia. Cap. v. 67.
De Exordio ab oratoris, & auditorum perſonis deſumpto. Cap. vi. 68.
De exordio ex loci, ac temporis adjunctis. Cap. vij. 71.
De exordio à genere. Cap. viij. 74.
De exordio à contrariis. Cap. ix. 75.
De exordio ab adjunctis. Cap. x. 77.
De aliis exordiorum fontibus. Cap. xi. 78.
De exordiis ex abrupto. Cap. xij. 79.
De forma exordii ex abrupto. Cap. xiij. 81.
De exordio generis judicialis. Cap. xiv. 87.
De exordii virtutibus, & vitiis. Cap. xv. 89.

De Propoſitione. Cap. xvi. 92.
De Propoſitionum numero. Cap. xvij. 95.
Quomodo ſe gerere debeat orator in multiplici propoſitione. Cap. 18. 96.
De modo propoſitionis innovanda. Cap. xix. 101.
De vitiis in propoſitione vitandis. Cap. xx. 105
De propoſitionibus cujuſcunque generis. Cap. xxi. 112.
De Propoſitione poſtpoſita. Cap. xxij. 113.
De Narratione, ejuſque definitione, & diviſione. Cap. xxiij. 114.
De Narrratione integra orationis parte. Cap. xxiv. 115.
De altera narratione. Cap. xxv. 116.
Ne Narrationis virtutibus. Cap. xxvi. 117.
De Confirmatione. Cap. xxvij. 124.
De argumeutorum ordine. Cap. xxviij. 125.
De quibuſdam argumentorum animadverſionibus. Cap. xxix. 127.
De Tranſitione. Cap. xxx. 131.
De Oratione Panegyrica. Cap. xxxi. 135.
De iis, quæ in genere demonſtrativo confirmationis materiam Oratori ſuppeditabunt. Cap. xxxii. 139.
De Confutatione. Cap xxxiij. 141.
De Peroratione. Cup. xxxiv. 143.

LI-

LIBER III.

DE Elocutionis præſtantia. Cap. I. 145.
De elocutionis definitione, et partibus. Cap. ij. 146.
De Tropis. Cap. iij. 154.
De numero Troporum. Cap. iv. 156.
De Metaphora. Cap. v. 156.
De Allegoria. Cap vi. 159.
De Metonymia. Cap. vij. 161.
De Synecdoche. Cap. viij. 164.
De Antonomaſia. Cap. ix. 166.
De Ironia. Cap. x. 167.
De Periphraſi. Cap. xi. 168.
De Hyperbole. Cap. xij. 169.
De Figuris. Cap. xiii. 171.
De Repetitione. Cap. xiv. 171.
De Traductione. Cap, xv. 174.
De Synonimia, Cap. xvi. 174.
De Aſyntheto. Cap. xvij. 175.
De Polyſintheto. Cap. xviij. 176.
De Gradatione. Cap. ix. 176.
De Commutatione. Cap. xx. 177.
De Paronomaſia. Cap. xxi. 177.
De Alliteratione. Cap. xxii. 178.
De Adiunctione. Cap, xxiij. 178.
De Figura ſimiliter cadente. Cap. xxiv. 179.
De ſimiliter deſinente, Cap. xxv. 180.
De Iſocolo. Cap. xxvi. 181.

De

De Antitheſi. Cap. xxvii. 182.
De Interrogatione. Cap. xxviij. 183.
De Subjectione. Cap. xxix. 185.
De Prolepſi. Cap. xxx. 185.
De Apoſtrophe. Cap. xxxi. 186.
De Proſopopœia. Cap. xxxii. 187.
De Hypotypoſi. Cap. xxxiij. 189.
De Ethopœia. Cap. xxxiv. 191.
De Correctione. Cap. xxxv. 192.
De Dubitatione. Cap. xxxvi. 193.
De Communicatione. Cap. xxxvij. 195.
De Suſtentatione. Cap. xxxiij. 196.
De Prætermiſſione. Cap. xxxix. 198.
De Conceſſione. Cap. xxxx. 199.
De Permiſſione. Cap. xxxxi. 200.
De Obſecratione. Cap. xxxxii. 201.
De Exclamatione. Cap. xxxxiij. 203.
De Diſtributione. Cap. xxxxiv. 204.
De Epiphonemate. Cap. xxxxv. 205.
De Memoria. Cap. xxxxvi. 206.
De Pronunciatione. Cap. xxxxvij. 208.

Digitized by Google

00562803